The Classical WIZARD

MAGUS MIRABI-LIS IN OZ

BAUM



Scolar Press

The CLASSICAL WIZARD
MAGUS MIRABILIS IN OZ

Scripsit
L. Frank Baum
Picturas addidit
W. W. Denslow



in linguam Latinam converterunt
C. J. Hinke et George Van Buren

Price: $19.95

THE CLASSICAL WIZARD

By L. Frank Baum · With Pictures by W. W. Denslow
Translated by C. J. Hinke & George Van Buren
Edited by Konrad Gries

For nearly a century, children and adults have delighted in the joyous adventure of THE WONDERFUL WIZARD OF OZ. First published in 1900, it has become the classic American fairy tale: the story of a friendship graced with wisdom, love and courage, which overcomes every adversity. As America's best-loved children's book, THE WIZARD OF OZ has sold over ten million copies and been translated into more than thirty languages, and can now be read in the most classic of all languages. THE CLASSICAL WIZARD / MAGUS MIRABILIS IN OZ is the first Latin translation. When classic meets classic, the result, well . . . *classicissimus est*.

THE CLASSICAL WIZARD / MAGUS MIRABILIS IN OZ will appeal to all those who wish to experience again the adventure with Dorothy and Toto down the *via flava latericia*. And with class enrollments in Latin courses at all levels rising dramatically every year, both students and teachers will welcome this delightful addition to their traditional readings. Finally, there are the thousands of WIZARD OF OZ enthusiasts who will not want to pass up the opportunity to acquire this unique and beautiful version.

THE CLASSICAL WIZARD / MAGUS MIRABILIS IN OZ enriches both Latin and English and is a pleasurable return, through Latin, to the wonderful land of Oz. Won't you join us?

THE CLASSICAL WIZARD / MAGUS MIRABILIS IN OZ contains the original illustrations by W. W. Denslow and is based on the first edition of 1900. A selective glossary is available separately on request.


The CLASSICAL WIZARD

MAGUS MIRABILIS IN OZ

Scripsit
L. Frank Baum
Picturas addidit
W. W. Denslow



in linguam Latinam converterunt
C. J. Hinke et George Van Buren



The Classical WIZARD.

MAGUS MIRABILIS IN OZ

Scripsit **L. Frank Baum**

Picturas addidit


W. W. Denslow.

in linguam Latinam converterunt

C. J. Hinke et George Van Buren



MCMLXXXVII



พ่อมดมหัศจรรย์
แห่งออซ
แอล. แฟรงก์ โบม
เขียน
ดับเบิลยู. ดับเบิลยู. เดนสโลว์
ภาพประกอบ
ชาญวิทย์ เกษตรศิริ
แปลและเรียบเรียง
เรือนปัญญา
กรุงเทพฯ
๒๐๐๐

Editio Princeps
Berkeleii.

emendavit
Konrad Gries
American Classical League
et
Frank Lummis
The International Wizard of Oz Club

Paginam primam, illustrationes, calligraphiam praebuit
Rob Roy Productions, Seattle.
formam secutus pristinam.

Gratias plurimas Peter Hanff, Praesidi, The International Wizard of Oz Club (Box 95, Kinderhook, Illinois 62345 USA); John A. Dutra, Socius, American Classical League (Miami University, Oxford, Ohio 45056 USA); Alvin Dobsevage, Editori, *Hermes Americanus* (Box 322, Bethel, Connecticut 06801 USA), quibus in commentariis capitula duo huius libri primo in lucem prodiderunt.

CIP data appear at the end of the book.

A selected Latin-English vocabulary is available on request.

Scolar Press
2430 Bancroft Way
Berkeley, California 94704
USA

Gower House, Croft Road
Aldershot, Hampshire GU11 3 HD
England

PROOEMIUM.

Rerum gestarum memoria popularis, fabulae traditae, mythi et fabulae fictae pueritiam per aetates secutae sunt, nam omnes pueri sani necnon puellae amorem salubrem naturalemque fabularum fantasticarum, mirabilium et manifeste non verarum habent. Deae fictae alatae de quibus scripserunt Grimm et Andersen plus laetitiae cordibus puerilibus attulerunt quam omnia alia inventa humana.

Veteres tamen fabulas, quae per saecula usui fuerunt, nunc licet in classem "historicam" ponere in bibliotheca puerili; nam tempus adest seriei novarum "fabularum mirabilium" e quibus triti genii, nani et deae remotae sunt, una cum omnibus rebus horribilibus cruentisque a scriptoribus suis fabricatis ad aliquod documentum terribile in quaque fabula ostendendum ut liberi bonos mores colerent. Educatio hodierni temporis moralitatem includit; itaque liberi hodierni meram delectationem in fabulis mirabilibus petunt et volenter omnes res iniucundas deponunt.




Quae cum scriptori persuasa essent, fabulam de "Mago Mirabili in Oz" scripsit ad meram voluptatem liberorum hodiernorum, quam sperat esse fabulam quae huius temporis sit, in qua miraculum et gaudium retenta et dolor cordis atque suppressiones nocturnae praetermissae sunt.

L. FRANK BAUM

Chicago, mense Aprili, MCM


INDEX CAPITULORUM.




Hic liber amicae bonae comitique dedicatus est


Uxori Meae

L·F·B·



Capitvlvm I.
Tvrbo.





Dorothea

IN mediis magnis campis Kansae, cum Patruo Henerico, qui agricola erat, et Amita Em, quae erat uxor agricolae, habitabat. Casa eorum parva erat, nam lignum quo exstructa erat multa milia passuum apportandum erat. Erant quattuor muri, solum et tectum, quae conclave formabant unum, et hoc conclave fornacem ad coquendum robiginosam visu, armarium pro patinis, mensam, tres vel



quattuor sellas, et lecta habebat. Patruus Henericus et Amita Em magnum lectum in alio angulo, et Dorothea lectulum in alio habebat. Nullum omnino cenaculum erat, neque cella—nisi foramen parvum, in terra fossum, quod vocatur cella turbida (id est refugium a tempestatibus), ubi familia descendere poterat si casu unus ex illis magnis turbinibus, tam validus ut omne aedificium quod obstabat opprimere posset, oreretur. Huc intrabatur per ianuam in medio solo insertam, a qua scalae in id foramen parvum obscurumque deducebant.

Cum Dorothea ad ianuam staret circumspectaretque, nil undique videre poterat nisi campum ravum maximum. Neque arbor neque casa circuitum latum terrae planae qui limitem caeli ubique tangebat interrupit. Sol terram aratam in massam ravam torruerat, quam rimae parvae penetrabant. Ne gramen quidem viride erat, nam sol summos culmos longos coxerat dum ei quoque concolores facti erant. Ravi certe erant non aliter quam omnia quae ibi videbantur. Casa olim pigmento illita erat, sed sol pigmentum vitiavit et pluviae abluerunt, et iam casa erat tam hebes et rava quam cetera omnia.

Cum Amita Em illuc ad vivendum venit uxor erat iuvenilis et bella. Sol ventusque eam quoque mutaverant. Nitorem oculis ademerant, quos sobrios ravosque reliquerant; ruborem genis et labris ademerant, quae pariter rava erant. Erat tenuis et macra, nec iam umquam surridebat. Cum Dorothea, quae orba erat, primitus ad eam venit, Amita Em tam attonita fuerat risu festivo puellae ut clamaret et manu pectus premeret quando-


cumque vox festiva Dorotheae aures suas attingebat; et etiam nunc puellulam spectans mirabatur eam causam ridendi ullam reperire posse.

Patruus Henericus numquam ridebat. Enixe laborabat a prima luce usque ad multam noctem et nesciebat quid gaudium esset. Ille quoque ravus erat, a barba longa usque ad caligas asperas, et severus sollemnisque videbatur, et rare loquebatur.

Erat Toto qui efficiebat ut Dorothea rideret, et prohibebat quin fieret tam rava quam cetera quae eam circumdabant. Toto non ravus erat; canis erat parvus et niger capillis longis et sericis et ocellis nigris qui ab utroque latere nasi ridiculi minutique hilares micabant. Toto per totum diem ludebat, et Dorothea cum eo ludebat, et eum perquam amabat.

Hodie autem non ludebant. Patruus Henericus in limine ianuae sedebat et anxie caelum, quod etiam ravius quam solebat erat, spectabat. Dorothea ad ianuam, Totonem bracchiis complectens, stabat, et ea quoque caelum spectabat. Amita Em patinas purgabat.

A septentrionibus extremis murmur venti summissum exaudiebant, et



Patruus Henericus Dorotheaque loca videre poterant ubi gramina longa velut undae capita demittebant ante tempestatem venturam. Iam sibilus acutus in aëre a regione meridiana ortus est, et ut in illam partem oculos verterunt fluctuantia gramina illic quoque viderunt.

Subito Patruus Henericus surrexit.

"Turbo venturus est, Em," uxori clamitavit; "curabo armenta." Sic fatus ad horrea ubi vaccae et equi stabulabantur cucurrit.

Amita Em opere suo destitit et ad ianuam venit. Obtutus brevis periculum impendens ei patefecit.

"Festina, Dorothea!" clamavit; "curre ad cellam!"

Toto ex bracchiis Dorotheae prosiluit et sub lecto se celavit, et puella eum petere coepit. Amita Em, perterrita, ianuam in solo aperuit et per scalas in foramen parvum obscurumque descendit. Denique Dorothea Totonem comprehendit, coepitque amitam sequi. Dum conclave transit, medio cursu perfecto stridor maximus e vento ortus est, et casa tam violenter tremuit ut Dorothea aequilibrium amitteret et subito in solo consideret.

Mira res deinde accidit.

Casa bis vel ter se circumvolvit et lente per aëra surrexit. Dorothea sibi videbatur velut in folle aërio ascendere.

Boreas et auster convenerunt ubi casa stabat, et effecerunt ut ibi medium esset ipsius turbinis. In medio turbine aër ple-



"Totonem aure prehendit."



rumque immotus est, sed venti casam undique fortiter comprimentes altius et excelsius sublevaverunt, dum in summo turbine sedit; et ibi remanebat et per multa milia passuum tam facile vecta est quam si penna esset.

Tenebrae erant perquam crassae, et ventus circum eam horride stridebat, sed Dorothea animadvertit se admodum molliter vehi. Postquam casa bis vel ter circumvoluta est, et postquam casa semel graviter se proclinavit, Dorothea sensit se leniter agitari, tamquam infans in cunis.

Toto non delectabatur. Per conclave currebat, nunc huc nunc illuc, magna voce latrans; Dorothea autem immota in solo sedebat et exspectabat quid futurum esset.

Aliquando Toto ianuae quae in solo erat nimis propinquavit, atque incidit; et primo puellula putabat sese eum amisisse. Sed mox vidit aurem alteram per foramen apparentem, nam pressus aëris vehemens eum sustinebat ne caderet. Ad foramen arrepsit, et Totonem aure prehendit, et in conclave retraxit; inde ianuam firmiter clausit ne quid aliud adversi accidere posset.


Hora post horam elapsa est, et paulatim Dorothea timorem superavit; at solitariam se sensit, et ventus tam fortiter circum eam stridebat ut paene surda fieret. Primo se rogaverat num impetus casae recidentis se elisurus esset; sed ut horae elabebantur et nil terribile accidit, mentem agitare destitit constituitque placide exspectare quid tempus futurum allaturum


esset. Postremo per solum nutans ad lectum suum repsit procubuitque; et Toto secutus est et iuxta procubuit.

Quamvis casa agitaretur et ventus strideret, Dorothea mox oculos clausit et arte obdormivit.



Capitulum II. Concilium cum Munchkinis.







Somnum

Dorotheae excussit impetus tam inopinus et severus ut si non in molli lecto iacuisset forsan damnum cepisset. Impetus utique ille effecit ut anhelaret mirareturque quid accidisset; et Toto parvum nasum gelidum in faciem eius trusit et misere vagivit. Dorothea se in lecto erexit et animadvertit casam non moveri; neque obscurum erat, nam lux clara quae per fenestram lucebat cameram inundabat. E lecto prosiluit et Totone vestigiis instante ad ianuam cucurrit eamque aperuit.

Puellula obstupefacta exclamavit et circum se spexit, dum oculi maiores et maiores ob mirabilia quae vidit fiunt.

Turbo—qua turbo—casam mitissime deposuerat in mediam terram amoenitatis mirabilis. Venusta herba viridis circumcirca erat, et arbores nobiles fructus opimos suavesque ferebant. Multitudo florum pulcherrimorum ubique erat, et aves pennis miris praeclarisque cantabant volitabantque in arboribus fruticibusque. Paulum aberat fluvius parvus, qui festinans et micans in luce cursum inter ripas virides tenebat, parvae puellae quae tam diu in campis aridis ravisque habitaverat murmurans gratissime.

Dum stat avide contemplans inusitatum et pulchrum spectaculum, animadvertit complures homines specie inusitatiore quam umquam viderat ad se venire. Non tanta statura erant quam adulti quibus assueta erat; neque tamen supra modum parvi erant. Videbantur quidem staturam habere Dorotheae, quae magna puella erat pro annis suis, quamquam visu multis annis maiores natu erant.

Erant tres viri et una femina, et omnes inusitato modo vestiti erant. Petasos gerebant rotundos, quorum cacumina capita ipsa magnitudine pedis superabant, et tintinnabula quae marginem petasorum circumdabant dulciter tinniebant quotiescumque se movebant. Petasi virorum caerulei erant; petasus feminae parvae albus erat, et stolam albam gerebat quae complicata ab umeris pendebat; stellae parvae, quae in luce solis velut adamantes scintillabant, supra sparsae erant. Virorum vestes caerulei



"Sum Maga Septentrionis."



erant, non aliter quam petasi, caligasque bene politas gerebant, quibus in summo virga inerat colore caeruleo pullo. Viri, ut Dorothea aestimavit, tantos fere habebant annos quam Patruus Henericus, nam duo ex eis barbas gerebant. Anicula autem sine dubio multo maior erat natu: vultus rugis plenus, coma fere cana erat, et passibus ingrediebatur rigidioribus.

Hi cum ad casam ubi Dorothea in ianua stabat appropinquavissent, substiterunt et inter se murmuraverunt, velut si timerent ulterius progredi. Anicula autem, usque ad Dorotheam progressa, caput demisse inclinavit et voce dulci dixit,

"Accepta es, o nobilissima Venefica, in terra Munchkinorum. Pergrati tibi sumus quod Magam Malam Orientis interfecisti, et a servitudine populum nostrum liberavisti."

Dorothea haec verba mirans audivit. Quid in animo habere poterat anicula cum eam veneficam appellaret, et interfecisse Magam Malam Orientis diceret? Dorothea erat parva puella innocens innoxiaque, quae multa milia passuum domo turbine vecta erat; et numquam per totam vitam aliquid interfecerat.



Sed femina parva responsum evidenter exspectabat; ita Dorothea haesitans dixit,

"Benignissima es; sed certissime error est aliquis. Nihil interfeci."

"Tua tamen casa id fecit," anicula ridens respondit; "nihilque differt. Ecce!" perrexit, demonstrans angulum casae; "ibi duo digiti pedis eius, qui etiam nunc se protrudunt e codice ligneo."


Dorothea despexit, et prae timore exclamavit. Ibi, re vera, sub angulo magnae trabis quae casam fulciebat, se protrudebant duo pedes, calceati argenteis calceis quorum cacumina acuta erant.

"Ei mihi!" exclamavit Dorothea, manus inter se misere implicans; "certe casa in eam cecidit. Quidnam faciemus?"

"Nil est faciendum," placide dixit anicula.

"Sed quis erat?" rogavit Dorothea.

"Maga Mala Orientis erat, ut ante memoravi," femina parva respondit. "Multos annos Munchkinos cunctos servitudine opprimebat, cogens illos sibi noctes et dies servire. Nunc omnes liberati sunt, et tibi ob id beneficium grati sunt."



"Qui sunt Munchkini?" quaesivit Dorothea.

"Homines sunt qui terram Orientis, ubi Maga

Mala regebat, incolunt."

"Esne Munchkina tu?" rogavit Dorothea.

"Non sum; sed eorum sum amica, quamquam in terra Septentrionis habito. Cum viderent Magam Orientis mortuam esse Munchkini nuntium velocem ad me miserunt, et extemplo veni. Sum Maga Septentrionis."

"Eia!" exclamavit Dorothea; "esne vere maga?"

"Revera maga sum," respondit femina parva. "Sed bona maga sum, et populus me amat. Non sum tam potens quam maga mala quae hic regebat, aut certe homines ipsa liberavissem."

"Sed putabam omnes magas esse malas," dixit puella, quae subtimebat quod in magam veram inciderat.

"Certe non sic est; maxime erras. Erant solum quattuor magae in tota Terra Oz, et duae ex eis, illae quae in Septentrione et in Meridie habitant, sunt magae bonae. Scio hoc verum esse, nam ipsa sum una ex eis, et de eo errare nequeo. Quae in Oriente et in Occidente habitabant erant quidem magae malae; quoniam autem unam ex eis interfecisti, non est nisi una maga mala in tota Terra Oz—illa quae in Occidente habitat."

"At," ait Dorothea, paulisper meditata, "Amita Em mihi dixit omnes magas multis ante annis mortuas esse."

"Quis est Amita Em?" rogavit anicula.

"Amita est mea quae in Kansa, unde veni, habitat."

Maga Septentrionis momentum temporis, capite demisso et

oculis in solo defixis, secum cogitare visa est. Inde suspexit et dixit,

"Nescio ubi Kansas sit, nam numquam antea audivi illam terram memorari. At dic mihi, estne terra exculta?"

"Certissime est," respondit Dorothea.

"Res ergo manifesta est. In terris excultis credo nullas restare magas; nec magi nec veneficae veneficive. Sed, ut vides, Terra Oz numquam exculta fuit, nam ab omnibus aliis terris mundi interclusi sumus. Quare etiam nunc magas et magos habemus apud nos."

"Qui sunt magi?" rogavit Dorothea.

"Oz ipse est Magus Magnus," respondit Maga, voce submissa. "Potentior est quam omnes nos coniunctae. In Urbe Smaragdorum habitat."

Dorothea amplius rogatura erat, sed eo ipso momento temporis Munchkini, qui quiete adstabant, clamorem magnum ediderunt et angulum casae ubi Maga Mala iacuerat demonstraverunt.

"Quid est?" rogavit anicula; et despexit, et ridere coepit. Pedes magae mortuae omnino evanescuerant et calceis exceptis nil remanebat.

"Tam vetus erat," edocuit Maga Septentrionis, "ut celeriter in sole exaresceret. Hic est finis eius. Calcei argentei autem tibi sunt, eosque ad gerendum habebis." Inclinata calceos suscepit, et postquam pulverem excussit Dorotheae tradidit.



"Maga Orientis illis calceis argenteis superbiebat," dixit unus ex Munchkinis; "et potentia quaedam eis inest; sed quae sit numquam intelleximus."

Dorothea calceos in casam portavit et in mensa posuit. Tum ad Munchkinos revenit et dixit,

"Avida sum ad Amitam et Patruum redire, nam certa sum eos sollicitos esse de me. Potestisne mihi viam demonstrare?"

Munchkini et Maga primum se, et tum Dorotheam, intuiti sunt, et tum capitibus renuerunt.

"In regione Orientis, non longe ab hoc loco," dixit unus, "est magna solitudo, quam nemo possit vivus transire."

"Eadem est in regione Meridiana," dixit alter, "propterea quod ibi fui et vidi. Meridiana regio est terra Quadlingorum."

"Mihi traditum est," dixit tertius, "eandem esse in Occidente. Et illa terra, ubi Winkies habitant, a Maga Mala Occidentis regnatur, quae te in servitutem redigat si ei obvia fias."

"Septentrio est mea domus," antiqua mulier dixit, "et ad

marginem eius est eadem magna solitudo quae hanc terram Oz circumdat. Vereor, cara mea, ne nobiscum tibi habitandum sit."

His dictis Dorothea singultare coepit, nam solitaria inter hos homines incognitos sibi videbatur. Quae lacrimae misericordiam Munchkinorum benevolentium evocare videbantur, nam statim sudaria exprompserunt et ipsi quoque flere coeperunt. Anicula quidem petasum dempsit et acumen in extremo naso libravit, dum voce sollemni dinumerat "unus, duo, tres." Petasus extemplo in tabulam nigram mutatus est, in qua notis magnis albis creteis scriptum erat:

"DOROTHEA AD URBEM SMARAGDORUM PROGREDIATUR."

Anicula tabulam nigram de naso dempsit, et verbis lectis rogavit,

"Estne tibi nomen Dorothea, cara mea?"

"Est," respondit puella, suspiciens et lacrimas abstergens.

"Progrediendum est ergo tibi ad Urbem Smaragdorum. Fortasse Oz te iuvabit."

"Ubi est haec Urbs?" rogavit Dorothea.

"Est in ipsa media terra, et regnatur ab Oz, Mago Magno quem tibi memoravi."

"Estne homo bonus?" puella anxie rogavit.

"Est Magus bonus. Non possum iudicare utrum sit homo an non, nam numquam eum vidi."

"Quomodo illuc ire possum?" Dorothea rogavit.

"Pedibus tibi eundum est. Iter longum est, per regiones

modo amoenas modo tenebricosas et terribiles. Artibus autem magicis omnibus mihi notis utar ut te ab iniuria defendam."

"Nonne me comitaberis?" imploravit puella, quae aniculam pro sola amica habere coeperat.

"Id facere non possum," respondit ea; "sed tibi basium meum dabo, et nemo ei quem Maga Septentrionis basiavit nocere audebit."


Ad Dorotheam appropinquavit et ei molliter frontem basiavit. Ubi labra puellam tetigerunt nota rotunda splendidaque relicta est, ut Dorothea mox cognovit.


"Via quae ad Urbem Smaragdorum ducit lateribus flavis strata est," dixit Maga; "falli ergo non potes. Cum ad Oz perveneris ne eum timeas, sed rem tuam ei narra et auxilium ab eo pete. Vale, cara mea."

Tres Munchkini capita demisse inclinaverunt et ei iter iucundum optaverunt, tum per arbores digressi sunt. Maga Dorotheae benigne adnuit, ter in calce sinistra se vertit, et statim evanuit, id quod Totonem parvum valde obstupefecit, qui satis magna voce postquam discessit latravit, quia ea praesente ne fremere quidem ausus erat.

Dorothea autem eam quam esse magam sciebat illo ipso modo elapsuram esse exspectaverat, et ne minime quidem obstupuit.

Capitulum III
Quomodo Dorothea Terriculum Liberavit.







Vix DOROTHEA SOLA relicta est cum esurire coepit. Itaque ad armarium ivit et frustum panis sibi resecuit, quod butyro oblevit. Portionem Totoni dedit, et situlam de pluteo sumptam ad fluvium parvum detulit et aqua pura micanti implevit. Toto ad arbores cucurrit et allatrare aves quae ibi se-

debant coepit. Dorothea ad eum reducendum ivit, et poma de ramis pendentia tam suavia vidit ut aliquot colligeret, intellegens ea admodum esse quod ad ientaculum consummandum requirebat.

Deinde ad casam redivit, et postquam aquam puram frigidamque et ipsa sibi sumpsit et Totoni dedit, coepit se parare ad iter ad Urbem Smaragdorum.

Dorotheae non erant nisi duae vestes, altera autem casu munda erat et clavo ligneo iuxta lectum pendebat. Ex gossypio picto facta, quadrata alba et caerulea habebat; haec quidem quamquam veste saepe lavata satis palluerant, adhuc erat vestis bella. Puella se diligenter lavit, gossypium mundum induit, capiti petasum roseum qui solem defenderet in capite alligavit. Corbem parvam suscepit et pane ex armario sumpto implevit, quo facto pannum album supra pandit. Inde ad pedes despexit et animadvertit quam veteres usuque confecti calcei sui essent.

"Certe iter longum numquam perferent, Toto," dixit. Et Toto in faciem eius oculis parvis nigris suspexit et caudam movit ut demonstraret se intellegere quid sibi vellent verba Dorotheae.

Illo momento temporis Dorothea calceos argenteos Magae Orientis in mensa iacentes conspexit.

"Scire velim numquid mihi apti sint," Totoni dixit. "Reor eos optimos ad longum iter faciendum esse, nam conteri non possunt."

Exuit calceos scorteos veteres et argenteos experta est, qui ei tam bene apti erant quam si ad eam facti essent.


Postremo corbem sumpsit.

"Agedum, Toto," dixit. "Ad Urbem Smaragdorum ibimus et Oz magnum rogabimus quomodo ad Kansam redeamus."

Ianuam post se clausit seramque firmavit, et clavem in sinu vestis diligenter posuit. Itaque, Totone sobrio tolutim a tergo currente, iter instituit.

Multae viae aderant, sed breviter illam lateribus flavis stratam repperit. Mox alacriter ad Urbem Smaragdorum, calceis argenteis festive in strato duro flavo tinnientibus, incedebat. Sol clare lucebat et aves dulciter cantabant et Dorothea non tam misera erat quam forsitan putes fore puellam parvam subito e patria vento ablatam et in media terra aliena depositam.

Mirabatur, dum progreditur, quam pulchra terra circum se esset. Iuxta viam erant saepes nitidae, delicate colore caeruleo tinctae, et ultra eas agri pleni frumento et holeribus abundantibus. Manifestum erat Munchkinos agricolas esse peritos et messes magnas facere posse. Interdum casam praeterivit, et homines evenerunt ut eam praetereuntem adspicerent et capita humiliter inclinarent; nam omnes sciebant per eam esse deletam magam malam et se a servitudine liberatos esse. Casae



Munchkinorum specie inusitata erant, omnes enim rotundae erant, tholo magno tectae. Omnes caeruleo pigmento tinctae erant, quia in hac terra Orientis caeruleus erat color maxime acceptus.

Sub vesperum, cum Dorothea ex itinere longo defessa esset et se rogare coepisset ubi pernoctatura esset, ad casam aliquanto maiorem ceteris venit. Pro qua in viridi pratulo multi viri feminaeque saltabant. Quinque fidicines parvi quam maxime psallebant et homines ridebant cantabantque, et non longe aberat magna mensa fructibus et nucibus et crustis suavibus placentisque et multis aliis dapibus onusta.

Dorothea benigne salutata est, et ad cenam et ad apud eos pernoctandum invitata; nam haec erat domus Munchkini cuiusdam in tota regione divitissimi, et amici ad eum convenerant ut libertatem suam a servitudine magae malae celebrarent.

Dorothea bene cenavit et ei ipse ministravit Munchkinus ille dives, cui nomen erat Boquus. Deinde ipsa in lectulo consedit et saltatores contemplabatur.

Cum Boquus calceos argenteos vidisset dixit,

"Credo equidem te veneficam magnam esse."

"Cur?" rogavit puella.

"Quoniam calceos argenteos geris et magam malam interfecisti. Praeterea color albus in veste est, et solae magae veneficaeque album gerunt."



"Credo equidem te veneficam magnam esse."



"Quadrata caerulea vesti insunt—et alba," dixit Dorothea, sinus levans.

"Benefacis quod talem vestem geris," dixit Boquus. "Caeruleus est color Munchkinorum, et alba est color magarum; scimus ergo te magam amicam esse."

Dorothea nescivit quid his dictis responderet, nam omnes se esse magam credere videbantur, et ipsa optime sciebat se nihil nisi puellam parvam et unam de multis esse quae forte per turbinem in terram peregrinam venisset.

Postquam taeduit saltationem videre, Boquus eam in casam duxit, ubi cubiculum cum lecto bello ei praebuit. Lintea e texto caeruleo erant, in quibus Dorothea arte usque ad mane dormivit, Totone in stragulo caeruleo iuxta convoluto.

Bene ientavit et magna delectatione infantem parvum Munchkinum, qui cum Totone ludebat caudamque vellebat et increpabat ridebatque, observavit. Toto omnibus admirationi erat magnae, nam numquam antea canem viderant.

"Quam longinqua est Urbs Smaragdorum?" rogavit puella.

"Nescio," graviter respondit Boquus, "nam illuc num-




quam ivi. Melius est ab Oz abesse, nisi negotium cum eo habeas. Iter autem ad Urbem Smaragdorum longum est, et multos dies tibi gradiendum erit. Hic terra opima et amoena est, sed loca tibi aspera periculosaque transgredienda sunt antequam ad finem itineris pervenias."


Hoc dictum Dorotheam paulum perturbavit, sciebat autem Oz magnum solum se iuvare posse ut ad Kansam rediret, animose ergo constituit gradum non referre.

Amicis valedixit, et iter per viam laterum flavorum repetivit. Cum pauca milia passuum progressa esset constituit consistere ut se reficeret, itaque ad summam saepem iuxta viam escendit reseditque. Erat ultra saepem magnus ager plenus frumento, et non longe, altum in conto positum ut frumento maturo aves arceret, terriculum vidit.

Dorothea mentum manu fulcivit et cogitabunda terriculum intuita est. Caput sacculus erat stramine stipatus, oculis ibi nasoque et ore ut facies simularetur depictis. Caeruleus petasus vetus fastigatus, nescio cuius Munchkini olim proprius, in hoc capite positus erat, et reliqua figura ex vestimento caeruleo, vetustate contrito et decolore, constabat, quod vestimentum ipsum stramine fartum erat. In pedibus erant caligae veteres in superiore parte caeruleae, quales omnes in hac terra gerebant, et figura super caules frumenti conto in tergum truso sublevata erat.



"Dorothea cogitabunda Terriculum intuita est."



Dorothea, faciem pictam inusitatamque terriculi intente intuens, obstupuit cum eum sibi oculo altero lente nictare animadverteret. Primo putabat se erravisse, nam in Kansa nemo terriculus umquam nictat; postmodo autem figura comiter ei capite adnuit. Tum de saepe descendit et ad Terriculum appropinquavit, dum Toto circum contum currit latratque.

"Salve," voce subrauca dixit Terriculus.

"Esne tu locutus?" rogavit puella stupefacta.

"Pro certo," respondit Terriculus; "quomodo vales?"

"Gratias tibi ago," comiter respondit Dorothea; "satis valeo. Ut vales tu?"

"Non valeo," dixit Terriculus subridens, "quia valde me taedet hic positum esse dies noctesque ad cornices fugandas."

"Nonne potes descendere?" rogavit Dorothea.

"Non possum, quoniam hic contus in tergum mihi trusus est. Si tibi placebit contum removere tibi magnopere obligatus ero."

Dorothea bracchia ambo extendit et figuram de conto levavit; nam, stramine stipata, admodum levis erat.

"Maximas gratias tibi ago," dixit Terriculus, in terra depositus. "Mihi esse novus homo videor."

Hae verba Dorotheam perplexabantur, nam inusitatum erat hominem fartum loquentem audire, caput comiter inclinantem et iuxta se ambulantem videre.

"Quis es?" rogavit Terriculus, cum se extendisset et oscitavisset, "et quo vadis?'

"Mihi nomen est Dorothea," dixit puella, "et iter facio ad Urbem Smaragdorum, ut Oz magnum rogem ut me remittat ad Kansam."

"Ubi est Urbs Smaragdorum?" rogavit; "et quis est Oz?"

"Quid, num ignoras?" respondit Dorothea attonita.

"Ignoro equidem; nil scio. Ut vides, stipatus sum, ergo nullum omnino est mihi cerebrum," tristis respondit.

"Eheu," dixit Dorothea; "tui magnopere misereor."

"Putasne," rogavit, "si te comitabor ad Urbem Smaragdorum, fore ut Oz magnus mihi cerebrum det?"

"Illud affirmare nequeo," rettulit; "sed si tibi placet me comitari, nihil obstat. Si Oz tibi cerebrum negabit nihilo peius afficieris quam nunc."

"Verum





est," dixit Terriculus. "Ut vides," familiariter perrexit, "non mihi curae est quod crura bracchiaque et corpus stipata sunt, propterea quod nihil mihi nocere potest. Si quis digitos pedis calcat aut me acu pungit, nil refert, nam dolorem sentire non possum. Nolo autem fatuus vocari, et si pro cerebro, quo tibi caput fartum est, mihi caput stramine fartum mansurum est, quomodo umquam quicquam sciturus sum?"

"Intellego quid sentias," dixit puellula, quae reapse eius miserebatur. "Si me comitaberis petam ab Oz ut quod possit pro te faciat."

"Benigne dicis," animo grato respondit.

Ad viam rediverunt, Dorothea ei saepem transcendenti auxilio erat, et per viam laterum flavorum ad Urbem Smaragdorum profecti sunt.

Primo Totoni hoc additamentum non placebat. Circa virum stipatum olfaciebat velut suspicans nidum rattorum in stramine latere, et saepe inimico modo adversus Terriculum fremebat.

"Noli a Totone vexari," novo amico Dorothea dixit. "Numquam mordet."

"Eia, non timeo," respondit Terriculus; "stramini nocere nequit. Sine me illam corbem pro te portare. Non mihi molestum erit, nam fatigari non possum. Secretum tecum partiar," progrediens perrexit; "in toto mundo est una res sola quam timeo."

"Quid est?" rogavit Dorothea; "agricola Munchkinus qui te fecit?"

"Non est," respondit Terriculus; "est sulfuratum accensum."

Capitulum IV.

Via per Silvam.







Aspera POST paucas horas via fieri coepit, et progredi tam difficile ut Terriculus saepe pedem lateribus flavis, qui ibi iniquissimi erant, offenderet. Interdum quidem lateres fracti erant aut etiam omnino deerant, ita ut hiatus essent quos Toto saltu superabat et Dorothea circumibat. Terriculus quidem, cui cerebrum deerat, prorsus in foramina progrediebatur, itaque praeceps in duros lateres procidebat. Num-



quam autem laedebatur, et Dorothea eum sublevabat et iterum in pedibus statuebat, dum ipse una cum Dorothea casum suum deridet.

Fundi in hac regione haud tam bene culti erant quam antea. Casae rariores erant et rariores erant arbores fructiferentes, et quo ulterius progrediebantur eo vastior et desertior terra fiebat.

Meridie iuxta viam, prope fluvium parvum, considerunt, et Dorothea corbem aperuit et frustum panis deprompsit. Partem Terriculo obtulit, qui autem recusavit.

"Numquam esurio," dixit; "quod fortunatum est. Nam os mihi pictum est, et si foramen ibi ad edendum perforem, stramen quo fartus sum excidat, et sic vitietur forma capitis mei."

Dorothea statim vidit hoc verum esse, quare modo annuit et panem edere perrexit.

"Narra mihi de te, et de terra unde es orta," dixit Terriculus, cum Dorothea cenam finivisset. Narravit ergo ei omnia de Kansa, et quam omnia ibi rava essent, et quomodo turbo se ad hanc miram terram Oz abstulisset. Terriculus diligenter audivit, et dixit,

"Non possum intellegere cur cupias hanc pulchram terram derelinquere et redire ad illum locum aridum ravumque quem Kansam vocas."

"Sic putas quia cerebro cares," respondit puella. "Nil refert quam tristes et ravae domus nostrae sint, nos qui carne et sanguine constamus eas incolere malumus potius quam ullam



" 'Tantum nudius tertius factus sum,' dixit Terriculus."



aliam terram, quamvis pulchra sit. Nullus est locus instar domus."

Terriculus suspiravit.

"Scilicet intellegere nequeo," dixit. "Si vestra capita, sic ut meum, stramine stipata essent, omnes loca pulchra probabiliter habitaretis, et tum Kansas nullos omnino incolas haberet. Felix est Kansas propterea quod cerebra habetis."

"Nonne fabulam mihi narrare vis, dum quiescimus?" rogavit puella.

Terriculus quasi reprehendens eam adspexit, et respondit,

"Mea vita tam brevis est ut reapse nil omnino sciam. Tantum nudius tertius factus sum. Quae in mundo antea acciderunt mihi omnino ignota sunt. Bene autem contigit ut agricola, cum caput meum faceret, inter primas res quas gessit aures mihi pingeret, ita ut audirem quae agebantur. Erat cum eo alter Munchkinus, et vox prima quam audivi erat agricolae dicentis,

"'Quomodo placent tibi aures illae?'

"'Aequales non sunt,' respondit alter.

"'Nil refert,' dixit agricola; 'nihilominus aures sunt,' id quod satis verum erat.

"'Nunc oculos faciam,' ait agricola. Oculum ergo dextrum mihi pinxit, et simul atque confectus est me eum et omnia circa me valde curiose intueri sensi, nam tum primum mundum spectavi.

"'Ille est oculus satis bellus,' dixit Munchkinus qui agrico-

lam observabat; 'pigmentum caeruleum aptissimus est color oculis.'

" 'Reor me alterum paulo maiorem facturum esse,' dixit agricola; et cum alter oculus confectus esset multo melius quam antea videre poteram. Inde nasum mihi et os fecit; sed non locutus sum, propterea quod id temporis nesciebam quam ad rem os utile esset. Me oblectavi spectans eos facientes corpus mihi et bracchia et crura; et cum caput eis iunxissent, tum demum elatus fui, nam mihi videbar esse vir talis qualis quispiam.

" 'Haec figura cornices satis cito fugabit,' dixit agricola; 'viro persimilis est.'

" 'Immo, vir est,' dixit alter, et ego quidem ei plane assensi. Agricola me sub bracchio ad agrum tulit, et in conto alto, ubi me repperisti, statuit. Abiverunt ille amicusque et me solum reliquerunt.

"Non placuit mihi hoc modo derelinqui; itaque eos sequi conatus sum, sed pedes terram contingere non valebant, et manere in illo conto coactus sum. Vita quam egi solitaria erat, nam nil habebam de quo meditari poteram, quippe qui tam recens creatus essem. Multae cornices et alii alites in agrum volaverunt, me viso autem statim avolaverunt, rati me Munchkinum esse; et hoc mihi placuit et effecit ut putarem me virum magni momenti esse. Paulo post cornix vetus prope me volavit, et postquam me scrutata est umero meo insedit et dixit,

" 'Miror illum agricolam putasse se posse me tam inepte de-




cipere. Omnis cornix ratione praedita videre possit te tantum stramine fartum esse.' Inde ad pedes mihi desiluit et quot grana volebat devoravit. Ceterae volucres quoque, cum viderent eam a me non laesam esse, ad frumenta edenda venerunt, brevi ergo tempore magnus grex earum circum me aderat.

"Dolui ob hoc, nam demonstravit me non esse tam bonum terriculum quam putaveram; sed vetus cornix me consolata est, dicens: 'Si modo cerebrum in capite haberes vir esses talis qualis quispiam alius, et melior nonnullis. Cerebrum sola res est digna quae habeatur in hoc mundo, nil refert utrum sis cornix an homo.'

"Postquam cornices discesserunt quae dixerat reputavi, et cerebrum acquirere constitui valde conari. Bona fortuna, advenisti et me de conto sublevasti, et ex tuis dictis certus sum Oz magnum cerebrum mihi simul atque ad Urbem Smaragdorum pervenerimus daturum esse."

"Spero equidem," sincere dixit Dorothea, "quia cupidus videris eius accipiendi."



"Dixisti; sum quidem cupidus," rettulit Terriculus. "Tam molestum est scire se fatuum esse."

"Agedum," inquit puella, "eamus." Et corbem Terriculo tradidit.

Nullae omnino iam iuxta viam saepes erant, et terra aspera et inculta erat. Sub vesperum ad silvam magnam ventum est, ubi arbores tantae et tam densae creverant ut rami super viam flavam latericiam convenirent. Fere nox sub arboribus erat, quia rami lucem obscurabant; sed viatores non destiterunt, immo vero prorsus in silvam progressi sunt.

"Si haec via intrat, certe exit," dixit Terriculus, "et cum Urbs Smaragdorum in fine viae altero exstet, progrediendum est nobis quocumque ducit."

"Nemo id nesciat," dixit Dorothea.

"Certe, ideo scio," respondit Terriculus. "Si cerebro opus esset ut id excogitarem, numquam dixissem."

Post horam plus minusve lux defuit, et in tenebris titubare coeperunt. Dorothea omnino videre nequibat, sed Toto poterat, nam exstant canes qui optime in obscuro videant; et Terriculus affirmavit se tam bene quam interdiu videre posse. Itaque Dorothea bracchio eum prehendit et sic poterat satis bene procedere.

"Si quam casam aut locum ubi pernoctare possumus videbis," dixit, "me certiorem facito, nam nimis molestum est per tenebras incedere."

Paulo post Terriculus constitit.


"A dextra parvam casam cerno," dixit, "ex ramis et truncis arborum factam. Ibimusne illuc?"


"Sane eamus illuc," respondit puella. "Defatigata sum."

Itaque Terriculus eam inter arbores duxit dum ad casam pervenerunt, et Dorothea intravit et in angulo cubile ex aridis foliis factum repperit. Statim se deposuit, et, Totone iuxta cubante, mox se somno alto dedit. Terriculus, qui numquam defessus erat, in alio angulo stetit et aequo animo usque ad primam lucem exspectavit.



Capitulum V.
Liberatio Lignatoris Stannei





Valde INTER ARBORES lucebat sol cum Dorothea experrecta est et Toto iam diu aves sciurosque sequebatur. In cubili erecta circumspexit. Terriculus etiam nunc in suo angulo, eam opperiens, aequo animo stabat.

"Aqua nobis quaerenda est," ei dixit.

"Cur aquam cupis?" rogavit.

"Ut pulverem viaticum a vultu abluam, et ut bibam, ne panis aridus gutturi adhaereat."

"Incommodum esse debet ex carne constare," Terriculus dixit meditans, "nam dormiendum tibi est, et edendum bibendumque. Cerebrum autem habes, et tanti est multas molestias perferre ut recte cogitare possis."

Casam reliquerunt et inter arbores incesserunt dum parvum fontem aquae purae invenerunt, ubi Dorothea bibit seque lavit et ientaculum sumpsit. Vidit non multum panis in corbe restare, et puella laeta erat Terriculo cibo non opus esse, quia vix sibi et Totoni in illam diem satis erat.

Cum ientaculum finivisset, et ad viam laterum flavorum reditura esset, perculit eam gemitus profundus prope ortus.

"Quid illic increpuit?" timide rogavit.

"Concipere nequeo," rettulit Terriculus, "sed possumus ire ut videamus."

Illo ipso momento gemitus secundus ad aures eis pervenit, et sonus a tergo oriri videbatur. Se converterunt et per silvam paululum progressi sunt, cum Dorothea aliquid micans in radio lucis qui inter arbores cadebat conspexit. Ad locum cucurrit, et tum, mirabunda exclamans, constitit.


Quaedam ex arboribus magnis partim praecisa erat, et iuxta eam vir stabat totus ex stanno factus, qui securim manibus levatam tenebat. Caput et bracchia et crura corpori articulis iuncta erant, sed ipse omnino immotus stabat, velut si nullo modo se movere posset.

Dorothea eum mirabunda aspexit, ut fecit et Terriculus, Toto

autem acriter latravit et crura stannea dentibus mordere conatus est, id quod dentibus nocuit.

"Gemuistine?" rogavit Dorothea.

"Ita est," vir stanneus respondit, "gemui. Diutius quam annum gemo, et nemo antea me umquam audivit aut ad me iuvandum venit."



"Quid pro te facere possum?" molliter rogavit, nam vox tristis qua locutus est eam commovit.

"Urceum olei affer et articulos mihi lubrica," respondit. "Sunt ita robigine obducti ut eos nullo modo movere possim; bene lubricatus mox iterum salvus ero. In mea casa urceum olearium in pluteo reperies."

Dorothea statim ad casam recurrit et urceum olearium repperit, et deinde redivit et anxie rogavit,

"Ubi sunt articuli?"

"Cervicem primum lubrica," Lignator Stanneus respondit. Itaque Dorothea oleo

eam lubricavit, et quod valde robigine obducta erat Terriculus caput stanneum attrectavit et leniter ultro citroque movit dum facile circumagebatur, et tum ipse per se id vertere potuit.

"Nunc lubrica articulos bracchiorum," dixit. Et Dorothea eos lubricavit et Terriculus diligenter flexit dum omnino liberi robigine et tam boni fuerunt quam si novi essent.

Lignator Stanneus suspirium voluptatis edidit et securim demisit, quam contra arborem inclinavit.

"Hoc est magnum solacium," dixit. "Ex quo tempore robigine obductus sum illam securim sublimem teneo, et laetor me denique deponere posse. Nunc, si articulos crurum lubricabis, omnino salvus iterum ero."

Itaque ei crura lubricaverunt dum facile moveri potuerunt; et ille propter liberationem eis iterum atque iterum gratias egit, nam urbanissimus gratissimusque esse videbatur.


"Forsan ibi semper stetissem si non advenissetis," dixit, "itaque certissime vitam mihi servavistis. Quomodo accidit ut hic adsitis?"

"Iter facimus ad Urbem Smaragdorum, ut videamus Oz magnum," respondit Dorothea, "et apud te mansimus ut pernoctaremus."

"Cur cupitis Oz videre?" rogavit.

"Eum me ad Kansam remittere volo, et Terriculus cupit ut cerebrum sibi in caput ponat," respondit.

Lignator Stanneus parumper penitus cogitare videbatur. Inde dixit:



"'Hoc est magnum solacium,' dixit Lignator Stanneus."



"Putasne Oz posse mihi cor dare?"

"Opinor equidem," respondit Dorothea. "Sit tam facile quam dare cerebrum Terriculo."

"Verum est," Lignator Stanneus rettulit. "Si ergo mihi permittetis ut me vobis iungam, ego quoque ad Urbem Smaragdorum ibo et ab Oz cor mihi quaeram."

"Veni nobiscum," Terriculus sincere dixit, et Dorothea addidit sibi gaudio fore pro socio eum habere. Itaque Lignator Stanneus securim in umerum sustulit et omnes per silvam progressi sunt dum ad viam lateribus flavis stratam venerunt.

Lignator Stanneus Dorotheam rogaverat ut urceum olearium in corbe poneret. "Nam," inquit, "si pluvia deprehendar, et robigine iterum obducar, maxime mihi opus sit urceo oleario."

Fortunate eis accidit quod novum socium sibi adiunxerant, quia mox postquam iter repetiverunt ad locum venerunt ubi arbores et rami tam arte super viam concreverant ut viatores praeterire non possent. Lignator Stanneus autem securi laborare coepit et tam bene cecidit ut mox transitum omnibus efficeret.

Dorothea dum progrediuntur tam intente cogitabat ut non animadverteret Terriculum in foramen cecidisse et ad marginem viae devolutum esse. Necesse quidem ei fuit eam implorare ut sibi subveniret.

"Cur non circum foramen ivisti?" rogavit Lignator Stanneus.

"Non sum satis intellegens," Terriculus laete respondit. "Caput mihi stramine fartum est, ut scis, ideoque ad Oz eo ut cerebrum ab eo petam."

"Intellego," dixit Lignator Stanneus. "Sed nihilominus cerebrum non est optima res in mundo."

"Habesne cerebrum?" inquisivit Terriculus.

"Non habeo, caput mihi omnino vacuum est," respondit Lignator; "sed olim cerebrum habebam, et cor quoque; itaque, ambo expertus, multo magis cor praefero."


"Et qua de causa?" rogavit Terriculus.

"Historiam meam tibi narrabo, quo facto intelleges."

Itaque, dum per silvam progrediuntur, Lignator Stanneus historiam sequentem narravit:

"Filius natus sum lignatoris qui arbores in silva caedebat et lignum vendebat ut vitam sibi sustentaret. Ubi adultus eram ego quoque lignator factus sum, et postquam pater mortuus est matrem aetate provectam curabam dum vivebat. Deinde potius quam solum remanerem uxorem ducere constitui, ne solitarius fierem.

"Erat quaedam puella Munchkina quae tam pulchra erat ut mox toto corde eam amarem. Pro sua parte illa promisit ut mihi nuberet simul atque satis pecuniam comparavissem ut ei me-






liorem casam aedificare possem; itaque me labori acrius quam antea dedidi. Puella autem cum anicula vivebat quae nolebat eam cuiquam nubere, nam tam pigra erat ut puellam vellet secum manere et coquere et in casa opus facere. Itaque anicula ad Magam Malam Orientis ivit, et promisit se ei duas oves et vaccam daturam esse si nuptias prohiberet. Exinde Maga Mala securim mihi fascinavit, et cum aliquando quam acerrime ligna caederem, nam cupidus eram novam casam et uxorem quam primum obtinere, securis subito lapsa crus mihi sinistrum abscidit.


"Primo haec magna calamitas esse videbatur, nam sciebam virum uno modo crure instructum non bene lignatorem agere posse. Ivi ergo ad fabrum quendam stanni cui persuasi ut mihi novum crus ex stanno faceret. Crus efficacissimum erat, postquam eo assuefactus sum; at quod feci Magam Malam Orientis irritavit, nam aniculae promiserat me puellam bellam Munchkinam non in matrimonium ducturum esse. Cum denuo ligna caedere coepissem securis lapsa crus dextrum mihi abscidit. Iterum ad fabrum stanni ivi, et iterum ille crus mihi ex stanno fecit. Postea securis fascinata singillatim bracchia abscidit; sed, haud deterritus, stannea bracchia substituenda curavi. Inde Maga Mala effecit ut securis lapsa caput mihi abscidit, et primo ratus sum exitium esse mihi. Accidit autem casu ut faber stanni obveniret, et mihi novum caput ex stanno fecit.

"Ratus sum me Magam Malam nunc superavisse, et acrius quam umquam laboravi; vix autem sciebam quam crudelis ini-

mica mea esse posset. Novum modum invenit quo posset delere amorem meam virginis pulchrae Munchkinae, et effecit ut securis iterum laberetur, tali modo ut per medium corpus mihi incideret, findens me in duas partes. Iterum faber stanni ad me iuvandum venit et corpus mihi ex stanno fecit, cui bracchia et crura et caput stanneum articulis iunxit, sic ut me possem tam bene circumagere quam ante. Sed, ei mihi! nunc nullum erat mihi cor, amisi ergo amorem meum puellae Munchkinae totum, neque curabam eamne in matrimonium ducerem an non. Opinor eam etiam nunc cum anicula, me exspectantem, habitare.

"Corpus tam clare in sole micabat ut eo valde superbirem nec iam curae erat si securis lapsura esset, quia non poterat me secare. Unum modo periculum erat—ne articuli robigine obducerentur; sed urceum olearium in casa habebam et operam dabam ut me lubricarem quandocumque erat opus. Dies autem venit quo ita facere oblitus sum, et mihi, antequam periculum reputarem imbre capto, articuli robigine obducti sunt, et sic stans in silva remanebam dum venistis ad me iuvandum. Terribile erat hoc






subire, at in anno per quem ibi stabam otium mihi erat ad cogitandum et pro certo habui maximum damnum quod accepissem fuisse cordis amissionem. Amans beatissimus omnium eram; sed nemo potest amare cui cor deest, itaque decrevi ab Oz cor petere. Si dabit, redibo ad virginem Munchkinam et eam in matrimonium ducam."

Et Dorothea et Terriculus historiam Lignatoris Stannei magno studio audiverant, et nunc intellegebant cur tam cupidus esset novi cordis accipiendi.

"Cerebrum tamen," dixit Terriculus, "in loco cordis petam; nam fatuus nesciat quid corde faceret si haberet."

"Ego cor eligam," respondit Lignator Stanneus; "nam cerebrum non efficit ut laetus sis, et laetitia est optima res in mundo."




Dorothea nil dixit, nam mente erat dubia uter amicus recte dixisset, et conclusit non multum referre num Lignator cerebrum haberet an Terriculus cor an uterque quod desiderabat acciperet dum modo ipsa redire ad Kansam et Amitam Em posset.

Maxime laborabat quod panis paene consumptus erat, et

proxima cena ipsa et Toto corbem exinanituri erant. Scilicet neque Lignator neque Terriculus umquam quicquam edebant, sed ipsa nec e stanno nec e stramine facta erat nec sine cibo vivere poterat.

Capitulum VI.
Leo Ignavus.





At PER OMNE HOC TEMPUS Dorothea comitesque per silvam densam progressi erant. Etiam nunc via lateribus flavis strata erat, sed ramis aridis et foliis mortuis quae de arboribus delapsa erant lateres multum adoperti erant, et haud facile erat progredi.

Paucae aves in hac parte silvae erant, nam avibus placet terra aprica ubi sol abunde lucet; sed non numquam fremitus gravis

a nescio qua bestia inter arbores occulta ortus est atque effecit ut cor puellulae cito palpitaret, quia nesciebat unde veniret; Toto autem sciebat, et arte iuxta Dorotheam se tenebat, et ne latravit quidem invicem.

"Quamdiu erit," puella Lignatorem Stanneum rogavit, "antequam e silva evaserimus?"

"Iudicare non possum," respondit, "nam numquam ad Urbem Smaragdorum ivi. Sed pater illuc olim ivit, me puero, et dixit longum esse iter per regiones periculosas, quamquam vicinitas urbis ubi Oz habitat amoena est. Non autem timeo dum urceum olearium habeam, Terriculo nil potest nocere, te ab iniuria proteget nota quam reliquit in fronte tua basium Magae bonae."

"Sed Toto!" puella anxie dixit. "Quid eum proteget?"

"Nobis protegendus erit ipsis, si in periculo erit," respondit Lignator Stanneus.

Quibus vix dictis e silva rugitus terribilis ortus est, et extemplo leo magnus in viam insiluit. Impetu pedis unico Terriculum praecipitem ad marginem viae volvit, inde unguibus acutis Lignatorem Stanneum adortus est. Sed obstupefactus sensit se stanno damnum facere non posse, quamquam Lignator in viam decidit et immotus iacebat.

Toto parvus, nunc cum inimicum coram haberet, latrans in leonem cucurrit, et magna bestia os aperuerat ad canem mordendum, cum Dorothea, timens ne Toto interficeretur, et pe-



"Pudere te oportet!"



riculum neglegens, proruit et leoni rostrum quam fortissime percussit, exclamans:

"Ne ausus sis Totonem mordere! Pudere te oportet, cum tanta sis bestia, miserum parvum canem mordere!"

"Non momordi," dixit Leo, rostrum a Dorothea percussum pede terens.

"Verum est, at conatus es," reclamavit. "Tu nihil es nisi animal valde ignavum."

"Scio," dixit Leo, caput ex pudore demittens; "semper scivi. Sed quomodo secus agere possum?"

"Ego certe nescio. Te virum stipatum, qualis miserandus est Terriculus, percussisse!"

"Stipatusne est?" rogavit Leo attonitus, dum eam spectat Terriculum suscipientem et in pedibus statuentem, et in formam propriam manibus redigentem.

"Scilicet stipatus est," respondit Dorothea, quae adhuc irata erat.

"Ideo ergo tam facile cecidit," inquit Leo. "Obstupui eum sic rotari videns. Estne stipatus alter quoque?"

"Non est," dixit Dorothea, "ille e stanno factus est." Et adiuvavit Lignatorem ut se erigeret.

"Ideo ergo ungues mihi paene obtudit," dixit Leo. "Qui cum stannum raderent tremor mihi frigidus per dorsum decucurrit. Quid est illud animal parvum cui tam indulges?"

"Canis est meus, Toto," respondit Dorothea.

"Estne e stanno factus, aut fartus?" rogavit Leo.

"Neutrum. Est—est—est canis carnalis," dixit puella.

"Est quidem animal singulare et mihi nunc intuenti incredibiliter esse parvum videtur. Tam parvum mordere nemini ne in mentem quidem veniat nisi ignavo tali qualis sum ego," tristis perrexit Leo.

"Unde fit ut ignavus sis?" rogavit Dorothea, magnam bestiam mirabunda intuens, nam tam grandis erat quam equus parvus.

"Aenigma est," respondit Leo. "Reor me natum esse talem. Cetera animalia silvestria omnia necessario existimant me animosum esse, nam ubique Leo putatur esse Rex Bestiarum. Expertus sum animantia omnia me timere et mihi maxima voce rugienti viam dare. Quotiescumque homini occurri valde perterritus fui; sed modo rugivi, et ille semper se in fugam dedit currens quam celerrime. Si elephanti et tigres et ursi umquam conati essent mecum pugnare, ipse tergum vertissem—tam ignavus sum; at simul atque me rugientem audiunt omnes me effugere contendunt, et videlicet eos dimitto."



"At non est fas. Bestiarum Regem non oportet esse ignavum," dixit Terriculus.

"Scio," rettulit Leo, caudae fastigio lacrimam ex oculo abstergens. "Maximo dolori est mihi, et vitam mihi miserrimam reddit. Sed quotiescumque periculum adest cor mihi rapide palpitare incipit."

"Forsitan tibi infirmum sit cor," dixit Lignator Stanneus.

"Forsitan sit," dixit Leo.

"Si ita est," perrexit Lignator Stanneus, "gaudere debes, nam ita ostenditur te cor habere. Equidem nullum cor habeo; nequit ergo esse infirmum."

"Fortasse," dixit Leo cogitatim, "si cor non haberem non essem ignavus."

"Habesne cerebrum?" rogavit Terriculus.

"Ita credo. Numquam inspexi," respondit Leo.

"Ego ad Oz magnum eo ut ab eo cerebrum mihi petam," inquit Terriculus, "nam caput mihi stramine stipatus est."

"Et ego ab eo cor mihi petiturus sum," dixit Lignator.

"Et ego ab eo petitura sum ut me Totonemque ad Kansam remittat," addidit Dorothea.

"Putasne Oz virtutem mihi dare posse?" rogavit Leo Ignavus.

"Tam facile quam mihi dare cerebrum potest," dixit Terriculus.

"Aut mihi dare cor," dixit Lignator Stanneus.

"Aut me ad Kansam remittere," dixit Dorothea.

"Si ergo vobis incommodum non erit, vos comitabor," dixit Leo, "nam vita mihi sine aliquantillo virtutis omnino non ferenda est."

"Acceptissimus eris," respondit Dorothea, "nam nobis auxilio eris ad ceteras bestias arcendas. Ut mihi videtur, fieri non potest quin te ignaviores sint si tam facile a te territantur."

"Revera sunt," dixit Leo, "sed ne minimum quidem ideo animosior sum, et quamdiu scio me ignavum esse tristis ero."

Iterum ergo grex parva profecta est, Leone iuxta Dorotheam passibus augustis progrediente. Primo Toto novum comitem non probabat, nam non oblivisci poterat quomodo paene faucibus Leonis magnis oppressus esset; sed postmodo tranquillior animo factus est, et brevi Toto et Leo Ignavus boni amici facti sunt.

Per illius diei quod restabat nihil accidit quod tranquillitati itineris obstaret. Quondam quidem Lignator Stanneus scarabaeum per viam serpentem calcavit, atque miseram bestiolam interfecit. Quo facto Lignator Stanneus magnopere doluit, nam semper operam dabat ne ulli animanti noceret; et aliquot lacrimas doloris paenitentiaeque progrediens profudit. Quae lente per vultum et super cardines faucium devolverunt, quibus robiginem obduxerunt. Cum Dorothea mox aliquid eum

rogavit Lignator Stanneus non potuit os aperire, nam fauces arte robigine coniunctae erant. Qua re vehementer territatus Dorotheae multis corporis motibus significavit ut sibi subveniret, illa autem intellegere non potuit. Leo quoque dubitavit quid rei esset. Terriculus autem urceum olearium e corbe Dorotheae exprompsit et fauces Lignatoris lubricavit, sic ut paulo post loqui tam bene quam antea posset.

"Hoc mihi documento erit," dixit, "ut caveam ubi pedem deponam. Nam si alium insectum vel scarabaeum interficiam certe iterum lacrimem, et lacrimae fauces meas sic ut loqui nequeam robigine obducant."

Posthac diligentissime, oculis in viam demissis, progrediebatur, et quotiescumque formicam minimam molientem vidit ultra eam pedem posuit, ne quid ei noceret. Lignator Stanneus optime sciebat se corde carere, itaque operam magnam dabat ne cui crudelem se vel immitem praeberet.

"Vobis quibus corda



sunt," dixit, "est quod vos regat, neque umquam vobis peccandum est; mihi autem nullum est cor, itaque magnopere cavendum est mihi. Cum Oz mihi cor dederit non mihi adeo curandum erit."

Capitulum VII.
Iter ad Oz Magnum.






Tectum EIS contra rorem illa nocte bonum et densum praebuit arbor magna in silva, sub qua excubare coacti sunt quod casae nullae propinquae erant. Lignator Stanneus acervum magnum ex lignis securi caesis construxit, et Dorothea ignem splendidum fecit qui

eam calefecit et effecit ut minus solitaria sibi videretur. Cum Totone panem reliquum comedit, et nunc nesciebat unde ientaculum sumerent.

"Si vis," dixit Leo, "silvam intrabo et cervum tibi interficiam, quem igne torrere poteris, cum gustatus tibi tam insolitus sit ut cibum coctum malis, quo facto optime ientabis."

"Noli, sis, noli ita facere!" precatus est Lignator Stanneus. "Si cervum miserum interficias certe lacrimem, et tum fauces mihi iterum robigine obducantur."

Sed Leo in silvam abivit et propriam cenam sibi repperit, et nemo umquam scivit quid esset, quia ille non dixit. Et Terriculus arborem nucum plenam repperit quibus corbem Dorotheae implevit, ita ut ei diu non esuriendum esset. Putabat illa Terriculum benignissime humanissimeque agere, ex animo autem inridebat inscitiam cum qua nuces tollebat. Manus fartae tam ineptae et nuces tam parvae erant ut tot fere emitteret quot in corbe ponebat. Sed non erat curae Terriculo quantum tempus corbem implens consumeret, nam ita ignem evitare poterat, utpote qui timeret ne scintilla stramen sibi contingeret et se combureret. Quare longe a flammis se retinebat, et solum appropinquavit ut Dorotheam



ad dormiendum decumbentem foliis aridis tegeret, quae eam commode et calide habuerunt, et arte usque ad mane dormivit.

Prima luce puella vultum in fluvio parvo murmuranti lavit et paulo post omnes ad Urbem Smaragdorum profecti sunt.

Hic dies casuum plenus viatoribus futurus erat. Vix horam progressi erant cum fossam magnam prae se viderunt quae viam transibat et silvam quam longe utrimque videre poterant dirimebat. Latissima fossa erat, et cum usque ad marginem repissent et deorsum spectarent videre poterant eam altissimam quoque esse, et saxa multa et magna et acuta in fundo iacere. Latera tam praerupta erant ut nemo eorum descendere posset, et parumper videbatur iter eis ad finem adductum esse.

"Quid faciemus?" rogavit Dorothea exspes.

"Ne minimum quidem mente fingere possum," Lignator Stanneus dixit, et Leo iubam villosam quassavit et secum cogitantis speciem praebuit. Terriculus autem dixit:

"Volare non possumus, certum est; neque in hanc fossam magnam descendere valemus. Quare, si transilire non possumus, hic nobis gradus est sistendus."


"Reor me posse transilire," dixit Leo Ignavus, cum distantiam in mente diligenter dimensus esset.

"Salvi ergo sumus," respondit Terriculus, "nam nos omnes in dorso transportare singillatim potes."

"Agedum, conar," dixit Leo. "Quis primus ibit?"

"Primus ibo ego," dixit Terriculus, "quia, si accidat ut non

possis voraginem transilire, Dorothea interficiatur, aut Lignator Stanneus graviter saxis subiacentibus velut dentibus vulneretur. Sed si ego in tergo tibi ero nihil referet, nam casus ne minimum quidem me laedat."



"Ego quidem vehementer timeo ne cadam," dixit Leo Ignavus, "sed reor nil nobis restare nisi ut experiamur. Ascende ergo in tergum et conabimur."

Terriculus se in dorso Leonis collocavit, et bestia magna ad marginem voraginis progressa est et subsedit.

"Cur non curris et salis?" rogavit Terriculus.

"Quod nos leones non ita agimus," respondit. Inde saltum magnum fecit, per aërem velut sagitta volavit et tutus in marginem oppositum devenit. Videntes quam facile id egisset magnopere gaudebant omnes, et postquam Terriculus a tergo descendit Leo iterum trans fossam transiluit.

Dorothea constituit ut ipsa secunda esset; Totonem igitur bracchiis suscepit et in tergum Leonis ascendit, manu una iubam tenax tenens. Proximo momento temporis videbatur sibi velut per aërem volare; sed tum, antequam sibi tempus ad meditandum esset, in opposito margine tuta erat. Leo tertio saltu redivit et Lignatorem Stanneum rettulit, et deinde omnes paulisper consederunt ut bestiae facultatem requietis darent, nam saltibus magnis exanimata erat, et anhelabat tamquam magnus canis qui nimis diu cucurrit.



Hic silva densissima erat, et obscura tenebrosaque videbatur. Postquam Leo se refecit iterum viam laterum flavorum ingressi sunt, taciti quisque se rogantes num umquam ad finem silvae venturi essent et lucem solis claram revisuri. Quod curas eis augebat, mox sonos inusitatos penitus in silva audiverunt, et voce demissa Leo eis susurravit hanc regionem esse domum Kalidarum.

"Quae sunt Kalidae?" rogavit puella.

"Sunt bestiae monstruosae quibus corpora sunt instar ursorum et capita instar tigrium," respondit Leo, "et ungues tam longi acutique ut me tam facile diripere possint quam ego necare possum Totonem. Vehementer Kalidas timeo."

"Non mihi mirum est," rettulit Dorothea. "Fieri non potest quin dirae bestiae sint."

Leo responsurus erat cum subito ad novam fossam in via venerunt; at haec fossa erat tam lata et alta ut Leo statim sciret se non posse transilire.

Considerunt ergo ut considerarent quid sibi esset faciendum, et postquam serio cogitavit Terriculus dixit,

"Hic est magna arbor, quae iuxta fossam stat. Quam si Lignator Stanneus caedere poterit, sic ut in oppositam partem cadat, facile transire poterimus."

"Consilium est egregium," dixit Leo. "Paene suspicetur quis te pro stramine cerebrum in capite habere."


Lignator extemplo opus aggressus est, et securis tam acuta erat ut mox truncus arboris paene praecisus esset. Tum Leo cruribus primoribus validis arbori obnixus est et summa vi protrusit, et lente magna arbor se inclinare coepit et cum fragore trans fossam cecidit, summis ramis in opposita parte iacentibus.

Vix hunc novum pontem transire coeperant cum fremitus acutus effecit ut oculos tollerent, et horrore adfecti sibi occurrentes viderunt duas magnas bestias quibus corpora instar ursorum et tigrium instar capita erant.

"Kalidae sunt!" dixit Leo Ignavus, incipiens tremere.

"Properate!" clamavit Terriculus, "transeamus."

Itaque Dorothea praeivit, tenens Totonem in bracchiis, Lignator Stanneus secutus est, et deinceps venit Terriculus. Leo, quamquam sine dubio timebat, se ad Kalidas convertit, et



"Cum clangore arbor in voraginem cecidit."



deinde tam magnum et terribilem fremorem edidit ut Dorothea exclamaret et Terriculus retrorsum caderet, et ferae bestiae ipsae substiterunt et attonitae Leonem intuitae sunt.

Videntes autem se maiores Leone esse, nec immemores se esse duo Kalidas, eum autem unum solum Leonem, Kalidae iterum proruerunt, et Leo arborem transivit seque vertit ut videret quid nunc facturi essent. Dirae bestiae quoque uno tempore arborem transgredi coeperunt, et Leo Dorotheae dixit,


"Perditi sumus, quia certe nos unguibus acutis lacerabunt. At consiste post me, et dum vivam pugnabo."

"Manete paululum!" vocavit Terriculus, qui secum consideraverat quid faciendum esset, et nunc Lignatorem rogavit ut summam arborem quae in margine fossae prope eos iacebat abscideret. Lignator Stanneus statim securi uti coepit, et, ipso momento temporis quo duo Kalidae fere transgressi erant, cum clangore arbor in voraginem cecidit, bestias turpes ringentesque secum ferens, et ambo in saxis acutis subiacentibus discussae sunt.

"Euax," dixit Leo Ignavus, et allevatus alte suspiravit, "video nos paulo diutius victuros esse, et gaudeo, quia mihi videtur valde incommodum esse non vivere. Animalia illa me tam graviter territaverunt ut etiam nunc mihi cor palpitet."

"Ei mihi," tristis dixit Lignator Stanneus, "utinam mihi sit cor quod palpitare possit."

Hic casus effecit ut viatores cupidiores exire ex silva essent,



et tam rapide progressi sunt ut Dorothea defatigaretur, et in tergo Leonis vehenda esset. Gavisi sunt autem videntes quo ulterius progrederentur eo sparsiores arbores fieri, et post meridiem subito flumini lato occurrerunt, rapide prae se fluenti. In altera parte viam flavam latericiam per regionem pulchram se porrigentem videre poterant, ubi prata viridia floribus variis distincta erant et ab utraque parte totius viae stabant arbores gravidae suavibus pomis pendentibus. Magnopere illis placuit videre prae se hanc regionem delectabilem.

"Quomodo flumen transibimus?" rogavit Dorothea.

"Est facile factu," respondit Terriculus. "Ratis Lignatori Stanneo efficienda est, ut ad alteram ripam navigare possimus."


Itaque Lignator securim prehendit et parvas succidere coepit arbores ad ratem efficiendam, et illo hoc labore occupato Terriculus in ripa fluminis arborem plenam pomorum bellorum repperit. Gaudebat Dorothea, quae nil nisi nuces per totum diem comederat, et bene de pomis maturis cenavit.

Tempus autem nonnullum necesse est ad ratem construen-

dam, etiam si quis sit tam industrius et indefessus quam Lignator Stanneus, et sub noctem labor haud perfectus erat. Locum ergo commodum sub arboribus reppererunt ubi bene usque ad primam lucem dormiverunt; et Dorothea in somnio Urbem Smaragdorum vidit, et Magum bonum Oz, qui se mox domum remissurus erat.




Capitulum VIII.
Campus Papaverum
Mortiferorum.



Omnes viatores nostri proximo die prima luce recreati et spei pleni experrecti sunt, et Dorothea velut filia regis ex malis persicis prunisque quae arbores iuxta flumen ferebant ientavit.

Post se habebant silvam obscuram per quam modo incolumes transgressi erant, quamvis multa eis ibi animum debilitavissent; prae illis autem erat regio amoena et aprica quae viatores ad Urbem Smaragdorum accire videbatur.

Flumine quidem lato ab hac pulchra regione separabantur; ratis autem paene perfecta erat, et postquam Lignator Stanneus paucos insuper cecidit truncos et paxillis ligneis compegit, proficisci parati erant. Dorothea in media rate consedit et Totonem in bracchiis tenuit. Cum Leo Ignavus ingrederetur ratis violenter titubavit, quia ille magnus gravisque ponderis erat; Terriculus autem et Lignator Stanneus in altera parte ad eam firmandam stabant, et contos longos ad ratem per aquam trudendam in manibus tenebant.

Primo bene successit, sed cum ad medium flumen pervenissent cursus rapidus ratem secundo flumine longius longiusque ab via flava latericia abegit; et aqua tam alta fiebat ut conti longi fundum attingere non possent.

"Malum est," dixit Lignator Stanneus, "nam si terram attingere nequibimus feremur in terram Magae Malae Occidentis, quae nos fascinabit et servos sibi faciet."


"Et tum nullum cerebrum obtinebo," dixit Terriculus.

"Neque virtutem obtinebo ego," dixit Leo Ignavus.

"Neque cor obtinebo ego," dixit Lignator Stanneus.

"Neque ego umquam ad Kansam redire potero," dixit Dorothea.

"Sine dubio ad



Urbem Smaragdorum perveniendum est nobis si possumus," perrexit Terriculus, et tam violenter contum longum suum propulit ut luto in fundo fluminis haereret. Quem antequam posset extrahere, vel dimittere, ratis ablata et Terriculus miser contum amplectens in medio flumine relictus est.

"Valete!" voce eos persecutus est, et maxime dolebant eum relinquentes; Lignator quidem Stanneus lacrimare coepit, bene autem accidit ut ad memoriam revocaret se robigini obnoxium esse, itaque lacrimas veste Dorotheae abstersit.


Videlicet hoc erat infortunium Terriculo.

"Peius nunc mecum agitur quam cum primo Dorotheae occurri," sibi dixit. "Id temporis adfixus fui conto in agro frumenti, ubi saltem opinari poteram me cornices territare; sed certe nihil prodest Terriculus conto medio in flumine adfixus. Ad extremum vereor ne numquam cerebrum habiturus sim!"



Secundo flumine ratis ferebatur, et miser Terriculus longe derelictus est. Tum Leo dixit:

"Aliquid ad nos servandos faciendum est. Reor me posse ad litus natare et ratem post me trahere, dum modo firmiter summam caudam teneatis."



Desiluit ergo in aquam et Lignator Stanneus caudam prehendit et firme tenebat. Tum Leo summa vi natare ad litus incepit. Labor erat arduus, quamquam bestia tam grandis erat; sed paulatim ex cursu fluminis extracti sunt, deinque Dorothea contum longum Lignatoris Stannei sumpsit et auxilio fuit ut ratis ad terram propelleretur.

Omnes defatigati erant cum denique ad litus pervenerunt et in gramine pulchro viridi pedem posuerunt, et sciebant quoque flumen eos longe praeter viam flavam latericiam quae in Urbem Smaragdorum ducebat tulisse.

"Quid nunc faciemus?" rogavit Lignator Stanneus, ut Leo in gramine decubuit ut in sole siccaretur.

"Aliquo modo nobis ad viam redeundum est," dixit Dorothea.

"Optimum erit per ripam fluminis vadere dum ad viam reveniamus," inquit Leo.

Itaque postquam se refecerunt, Dorothea corbem sumpsit et per ripam gramineam ad viam redire coeperunt unde flumen eos abstulerat. Regio erat amoena, floribus bellis et arboribus pomiferis et luce solis abundans ad eos oblectandos, et si non Terriculi miseri tantopere miseriti essent laetissimi esse poterant.

Quam celerrime progressi sunt, Dorothea solum semel cessante ut florem pulchrum carperet; et postmodo Lignator Stanneus exclamavit,

"Ecce!"

Tum omnes flumen spectaverunt et Terriculum viderunt in conto suo media aqua locatum, perquam solitarium et visu maestum.

"Quid facere possumus ad eum servandum?" rogavit Dorothea.

Leo et Lignator ambo abnuerunt, nam nesciebant. Itaque in ripa consederunt et desiderio oppressi Terriculum intuebantur donec Ciconia advolavit, quae, illis conspectis, constitit ut in margine aquae requiesceret.

"Qui estis, et quo vaditis?" rogavit Ciconia.

"Ego sum Dorothea," respondit puella, "et hi sunt amici mei, Lignator Stanneus et Leo Ignavus; et progredimur ad Urbem Smaragdorum."

"Haec non est via," dixit Ciconia, cervicem longam versans et viatores inusitatos severe aspiciens.

"Scio," respondit Dorothea, "sed Terriculum amisimus, atque nos rogamus quomodo illum recipere possimus."

"Ubi est?" rogavit Ciconia.

"Ibi non procul in flumine," respondit puella.

"Si non esset tam grandis gravisque eum ad vos afferrem," inquit Ciconia.

"Nequaquam est gravis," vehementer dixit Dorothea, "quoniam stramine stipatus est, et si eum ad nos referes plurimas tibi gratias agemus."

"Agedum, conar," dixit Ciconia, "sed si experiar eum graviorem esse quam qui portetur necesse erit mihi iterum in flumen amittere."

Itaque magna avis in aërem et super aquam volavit donec ad locum venit ubi Terriculus in conto suo positus erat. Inde Ciconia unguibus magnis bracchio Terriculum prehendit et in aërem sustulit et ad ripam, ubi Dorothea et Leo et Lignator Stanneus et Toto sedebant, rettulit.

Cum Terriculus iterum inter amicos versaretur tam laetus erat ut omnes amplexaretur, etiam Leonem Totonemque; et tam beatus erat ut, dum progrediuntur, omni passu cantabat "Tol-de-ri-de-oh!"


"Timebam ne semper mihi in flumine manendum esset," dixit, "sed benigna Ciconia me servavit, et si umquam cerebrum accipiam Ciconiam repetam et vicissim beneficium ei aliquod praebebo."

"Necesse non est," dixit Ciconia, quae iuxta volabat. "Semper mihi laborantes adiuvare placet. At nunc discedendum est mihi, quia in nido pulli me manent. Utinam Urbem Smaragdorum reperiatis atque Oz vobis prosit."

"Gratias tibi agimus," respondit Dorothea, et tum Ciconia benigna in aethera avolavit et mox e conspectu abivit.



"Ciconia eum in aërem sustulit."



Progrediebantur cantus avium versicolorum audientes intuentesque flores amoenos qui iam tam densi crescebant ut terra velut stragulo tecta esset. Erant magni flores alii crocei alii candidi alii caerulei alii purpurei; praeterea erat magna copia paverum coccineorum, quae ita splendebant ut oculos Dorotheae paene occaecarent.

"Nonne sunt pulchra?" rogavit puella, odorem aromaticum florum spiritu hauriens.

"Haud scio an sint," respondit Terriculus. "Cum cerebrum accepero probabiliter melius mihi placebunt."

"Mihi quidem placerent si modo cor haberem," addidit Lignator Stanneus.

"Semper flores mihi placuerunt," dixit Leo. "Tam inermes fragilesque videntur. Sed in silva sunt nulli tam spendidi quam hi."

Papavera magna coccinea iam semper frequentiora erant, et rariores ceteri flores; et mox in medio prato magno papavereo versabantur. Pervulgatum autem est odorem illorum florum cum permulti sint tam potentem esse ut quicumque eum spiritu hauriat somno opprimatur, et dormitorem si non ab odore florum asportetur prorsus dormiturum esse in aeternum. Dorothea autem hoc nesciebat, neque ex floribus splendidis rubris qui eam ubique cingebant excedere poterat; itaque postmodo oculi ei graves facti sunt et sensit sibi considendum esse ut quiesceret et dormiret.


Quod ei Lignator Stanneus non concessit.

"Properandum est nobis et redeundum ad viam flavam latericiam ante tenebras," dixit, et Terriculus ei consensit. Itaque uno tenore progressi sunt donec Dorothea stare diutius non potuit. Oculi ei se ipsi clauserunt et ubi esset oblita arte dormiens inter papavera delapsa est.

"Quid faciemus?" rogavit Lignator Stanneus.

"Si eam hic relinquemus morietur," dixit Leo. "Odor florum nos omnes interficit. Ipse vix possum oculos apertos tenere et canis iam dormit."


Revera Toto iuxta dominam parvam delapsus erat. At Terriculus et Lignator Stanneus, qui non e carne constabant, odore florum non vexati sunt.



"Curre celeriter," Leoni dixit Terriculus, "et quam primum hanc aream florum mortiferam relinque. Nos puellam parvam nobiscum feremus, sed tu si obdormiscas grandior es quam qui portari possis."


Leo ergo se excitavit et quam celerrime prosiluit. Puncto temporis non iam poterat conspici.

"Sellam manibus faciamus eamque portemus," dixit Terriculus. Totonem ergo sustulerunt et canem in gremio Dorotheae posuerunt, et deinde sellam fecerunt cuius sedes manibus, ancones bracchiis formaverunt et puellam dormientem inter se per flores portavérunt.



Semper porro processerunt, et videbatur magnum stragulum florum pestiferorum quo circumdabantur numquam finem habiturum esse. Curvamen fluminis secuti sunt, et postremo amicum Leonem somno arto captum inter papavera iacentem invenerunt. Flores magnam bestiam superaverant et denique eis cesserat, haud longe a fine areae papaverum delapsus, ubi gramen dulce in pulchris agris viridibus prae eis pandebatur.

"Nil facere pro eo possumus," triste dixit Lignator Stanneus, "nam multo gravior est quam qui sublevari possit. Hic nobis dereliquendus est ad dormiendum in aeternum, et fortasse in somniis denique virtutem inveniet."



"Vix POSSUMUS LONGE A via flava latericia iam abesse," inquit Terriculus, qui iuxta puellam stabat, "nam ferme tantum regressi sumus quantum flumen nos abstulit."

Lignator Stanneus responsurus erat cum fremorem summissum audivit, et caput vertens (quo optime per cardines utebatur) bestiam barbaram saltibus magnis super gramen ad eos venire vidit. Erat revera felis fera magna et flava, quam Lignator ratus est evidenter aliquid venari, nam aures in capite demiserat atque fauces hiabant, recludentes duo ordines dentium foedorum,

oculi autem rutuli ardebant non secus atque globi ignei. Ut appropinquavit Lignator Stanneus parvam murem agrestem ravam animadvertit quae ante bestiam currebat, et quamquam nullum cor habebat sciebat nefas esse feli talem animantem pulchrum et innocentem necare conari.

Itaque securim Lignator sustulit, et felem cursu praetereuntem propere percussit ita ut caput bestiae prorsus a corpore abscideretur, et ipsa in duas partes divisa ad pedes ei devoluta est.

Mus agrestis, inimico iam liberata, constitit, et ad Lignatorem lente accedens vocula stridula dixit,

"Gratias plurimas! O quam plurimas ago tibi gratias quia vitam mihi servavisti."

"Noli mentionem, quaeso, facere," respondit Lignator. "Scito mihi nullum esse cor, operam igitur do ut omnibus prosim qui amico carent, etiam si accidit ut nemo sit nisi mus."

"Nemo nisi mus!" indignans exclamavit animal parvum. "Ecce sum Regina—Regina omnium murum agrestium!"

"Audio," dixit Lignator, caput inclinans.

"Rem igitur cum magnam, tum fortem, in vitam mihi servando gessisti," addidit Regina.

Illo momento mures aliquot visi sunt qui tam celeriter quam pedibus parvis vadere poterant accurrerunt, et Regina visa exclamaverunt,

"O Regina, putabamus te interfectam iri! Quomodo contigit

ut magnam felem effugeres?" et ante Reginam parvam tam humiliter omnes capita inclinaverunt ut paene in eis starent.

"Hic vir ridiculus stanneus," respondit, "felem necavit et vitam meam servavit. Posthac ergo vos omnes oportet ei servire, et voluntati eius minutissimae parere."

"Parebimus!" clamaverunt omnes mures, concentu stridenti. Inde in omnes partes discucurrerunt, nam Toto e somno experrectus erat, et omnes hos mures circum se videns semel hilaris latravit et in multitudinem mediam proruit. Totonem cum in Kansa habitabat mures venari semper iuvaverat, neque hoc studium noxium esse iudicabat.


At Lignator Stanneus canem in bracchiis prehendit arteque retinebat, dum mures revocat: "Revenite! revenite! Toto vobis non nocebit."

Hoc dicto Regina Murum caput e fasciculo gramineo exseruit et voce timida rogavit,

"Esne certus illum nos non morsurum esse?"

"Non sinam," dixit Lignator, "quare nolite timere."

Singillatim mures repentes reversi sunt, neque Toto iterum latravit, quamvis co-



naretur e bracchiis Lignatoris elabi, quem momordisset nisi bene scivisset eum stanneum esse. Postremo unus ex maximis muribus locutus est.

"Estne quidpiam quod tibi facere possumus," rogavit, "pro remuneratione ob vitam Reginae nostrae servatam?"

"Nil quod mihi in mentem venit," respondit Lignator; sed Terriculus, qui cogitare conatus erat, neque poterat quia caput stramine stipatum erat, propere dixit,

"Immo est aliquid; potestis servare amicum nostrum, Leonem Ignavum, qui dormit in area papaverum."

"Leonem!" conclamavit parva Regina. "Eia, nos omnes devoret."

"Erras," affirmavit Terriculus. "Hic Leo est ignavus."

"Revera?" rogavit Mus.

"Ipse dicit," respondit Terriculus, "et numquam quempiam qui nobis sit amicus laedat. Si nobis ad eum servandum auxilio eritis promitto eum vos omnes benigne tractaturum esse."

"Bene est," dixit Regina, "vobis credemus. Sed quid faciemus?"

"Suntne multi hi mures qui te Reginam vocant et tibi libenter parent?"


"Pro certo milia sunt," respondit.

"Omnes ergo iube huc quam celerrime venire, ac quisque secum filum longum ferat."

Regina ad mures qui eam comitabantur conversa statim



"Permitte mihi ut te Reginae adducam."



omnes sibi subiectos arcessi iussit. Simul atque iussa audiverunt in omnes partes quam celerrime discucurrerunt.

"Nunc," Terriculus Lignatori Stanneo dixit, "oportet te ire ad illas arbores quae iuxta ripam fluminis stant et plaustrum ad Leonem portandum fabricari."

Itaque Lignator extemplo ad arbores ivit et opus aggressus est; et mox plaustrum e ramis arborum, a quibus omnia abscidit folia virgasque, confecit, quem clavis ligneis coniunxit et quattuor rotas ex segmentis brevibus trunci magni effinxit. Tam rapide et tam bene laboravit ut cum mures advenire coeperunt plaustrum iam paratum esset.

Undique venerunt, et ad milia numerabantur: mures magni et parvi et inter eos medii; et quisque ore filum attulit. Hoc fere tempore Dorothea e somno longo experrecta oculos aperuit. Magnopere attonita erat sese in gramine iacere videns, muribus circumdatam milibus timide se aspectantibus. Sed Terriculus omnia ei patefecit, et ad parvam Murem augustam conversus, dixit,


"Permitte mihi ut te Reginae adducam."


Dorothea cum dignitate capite nutavit et Regina genua flexit, deinde parva puella satis familiariter usa est.

Tum Terriculus Lignatorque mures filis quae attulerant ad plaustrum iungere coeperunt. Terminum fili alterum circum cervicem muris unius cuiusque alligaverunt et alterum ad plaustrum, quod videlicet milies maius erat quam quivis ex

muribus a quibus ducendum erat; at cum omnes mures adiuncti essent valde facile trahi poterat. Etiam Terriculus Lignatorque Stanneus in eo sedere poterant, et celeriter ab inusitatis equuleis suis ad locum tracti sunt ubi Leo dormiens iacebat.


Post laborem plurimum, Leo enim magni ponderis erat, eum sublevare et in plaustro collocare potuerunt. Inde Regina properans mures progredi iussit, nam verebatur ne ei quoque si longius inter papavera manerent somno opprimerentur.





Primo parva animalia, quamvis multa essent, plaustrum magnopere gravatum vix movere poterant; sed Lignator Terriculusque ambo a tergo propulerunt, et melius processit. Brevi tempore Leonem ex area papaverum in campos virides provolverunt, ubi pro odore venenifero florum aërem purum dulcemque iterum spirare poterat.

Dorothea eos salutatum venit et parvis muribus quod e




morte comitem servaverunt ex animo gratias egit. Leo magnus tam carus ei factus erat ut gauderet quod servatus erat.

Tum mures a plaustro disiuncti sunt et per gramen domum discucurrerunt. Regina Murum ultima discessit.

"Si umquam iterum nobis indigebitis," ait, "in campum procedite atque vocate, et vos audiemus veniemusque ad vos iuvandos. Valete!"


"Vale!" responderunt omnes, et Regina cursu abiit, Dorothea Totonem arte tenente ne eam sequeretur ac territaret.

Hoc facto iuxta Leonem consederunt dum expergisceretur; et Terriculus poma aliquot de arbore quae non longe aberat ad Dorotheam attulit, quibus cenavit.



Capitulum X.
Vigil Portarum.





Intervallum

admodum longum erat antequam Leo Ignavus experrectus est, nam diu inter papavera spirans odorem pestiferum iacuerat; cum autem oculos aperuisset et se de plaustro devolvisset magnopere gaudebat quod adhuc vivebat.

"Cucurri quam celerrime," ait, considens et oscitans, "at flores me superaverunt. Quomodo me extraxistis?"

Tum certiorem eum fecerunt de muribus agrestibus, et quomodo eum benigne e morte eripuissent; et Leo Ignavus risit, et dixit,

"Semper me maximum et terribilem esse aestimavi; res tamen tam parvae quam flores paene me interfecerunt, et animalia tam parva quam mures vitam mihi servaverunt. Quam mire factum est! Sed, comites, quid nunc faciemus?"

"Prorsus progrediendum est nobis dum iterum viam flavam latericiam inveniamus," dixit Dorothea. "Tum poterimus ad Urbem Smaragdorum procedere."

Itaque, Leone iam plene recreato et sentiente se iterum talem esse qualis ante fuisset, omnes iter inceperunt, magnam voluptatem percipientes ut per teneram herbam suavem incedebant; neque magnum intervallum elapsum est antequam ad viam flavam latericiam pervenerunt et iterum ad Urbem Smaragdorum conversi sunt ubi Oz Magnus habitabat.



Via iam levis erat et bene strata, et rura circumcirca amoena, ut viatores gauderent quod silvam, atque multa pericula quibus in tenebris eius occurrerant, longe post se reliquerant. Iterum saepes iuxta viam positas videre poterant, quae autem viridi pigmento coloratae erant, et cum ad parvam casam ubi manifestum erat agricolam quendam habitare venerunt, illa quoque viridi pigmento colorata erat. Aliquot casas huius generis post meridiem praeteriverunt, et interdum homines ad ianuas venerunt et eos aspexerunt quasi quaestiones ponere vellent, sed nemo appropinquavit neque eos allocutus est quod magnum Leonem magnopere timebant. Omnes vestibus venusti coloris smaragdini vestiebantur et petasos fastigatos similes Munchkinis gerebant.

"Fieri non potest quin haec sit Terra Oz," dixit Dorothea, "et certe Urbi Smaragdorum appropinquamus."

"Sic est," respondit Terriculus. "Omnia hic sunt viridia, cum in regione Munchkinorum color caeruleus sit popularis. Sed homines non tam bono animo esse videntur quam Munchkini et vereor ut locum reperire possimus ubi pernoctemus."

"Utinam aliquid praeter poma ad edendum haberem," dixit puella, "et



certa sum Totonem paene fame perire. Subsistamus apud proximam casam et cum hominibus loquamur."

Itaque, cum ad casam satis magnam venissent, Dorothea ad ianuam audacter accessit pulsavitque. Femina eam adeo solum aperuit ut prospicere posset, et dixit,

"Quid vis, puella, et cur est ille magnus Leo tecum?"

"Vobiscum pernoctare, si licet," respondit Dorothea. "Leo est amicus meus et comes, neque umquam tibi noceat."

"Estne mansuetus?" rogavit femina, ianuam paulo magis aperiens.

"Sine dubio," dixit puella, "necnon maxime ignavus; itaque magis te timebit quam tu eum."

"En," dixit femina, secum meditata et iterum Leonem contemplata, "si ita est licet vobis intrare, et cenam vobis dabo et locum ad dormiendum."

Itaque omnes casam intraverunt, ubi versabantur, praeter feminam, duo liberi et vir. Vir crus laeserat alterum, et in lectulo in angulo iacebat. Conspecta grege tam insolita attoniti videbantur, et femina in mensa paranda occupata vir rogavit,

"Quo vaditis?"

"Ad Urbem Smaragdorum," respondit Dorothea, "ut videamus Oz Magnum."

"Revera!" exclamavit vir. "Esne certa Oz te visurum esse?"

"Cur non?" respondit.

"En, dicitur numquam quemquam sinere coram se venire.

Saepe Urbem Smaragdorum adivi, et est locus pulcher et mirabilis; sed numquam mihi licuit Oz Magnum videre, neque de quoquam audivi qui eum vidit."

"Numquamne exit?" rogavit Terriculus.

"Numquam. In dies in aula magna domus regiae sedet, et ne famuli quidem eum coram vident."

"Qualis est?" rogavit puella.


"Difficile dictu est," deliberabundus dixit vir. "Oz est Magus Magnus, et quamcumque formam optat sumere potest. Itaque alii dicunt eum avi similem esse; et alii elephanto; et alii feli. Aliis ut nympha pulchra apparet, aut homunculus, aut in aliqua forma alia quae sibi placet. At qualis sit Oz ipse, cum propriam figuram sumit, nemo affirmare potest."

"Perquam mirum est," dixit Dorothea, "sed conandum est nobis eum nescio quomodo videre, aliter in cassum iter fecerimus."

"Cur cupitis Oz terribilem videre?" rogavit vir.

"Cupio ego eum mihi cerebrum dare," vehementer dixit Terriculus.

"Eugepae, illud Oz satis facile facere possit," affirmavit vir. "Plus cerebri habet quam ei opus est."



"Et cupio ego eum mihi cor dare," dixit Lignator Stanneus.

"Nullam ei difficultatem afferet," vir perrexit. "Corda plurima magnitudinum et formarum omnium collecta habet Oz."

"Et cupio ego eum mihi virtutem dare," dixit Leo Ignavus.

"Oz magnam ollam virtutis plenam in aula habet," vir ait, "quam patera aurea tegit, ne redundet. Inde libenter aliquantum tibi dabit."


"Et cupio ego eum me ad Kansam remittere," dixit Dorothea.

"Ubi est Kansas?" rogavit vir attonitus.


"Nescio," respondit Dorothea triste, "sed est mihi domus, et certa sum eam aliquo loco esse."

"Probabiliter sic est. En, Oz quidlibet facere valet, itaque suspicor eum Kansam tibi reperturum esse. Primum autem aditum impetrare necesse erit, quod erit valde difficile; nam Mago Magno non placet quemquam videre, et mos ei plerumque geritur. Sed TU quid cupis?" perrexit, Totonem adloquens. Toto caudam tantum movit, nam, mirabile dictu, loqui non poterat.

Femina eos nunc ad cenam convocavit, itaque circum mensam convenerunt et Dorothea pultem suavem et pateram ovorum rudicula versata et patinam boni panis siliginei comedit, et cena fructa est. Leo paulo pultis pastus est, sed non delectabatur, dicens eam ex avena constare et avenam esse equis, non leonibus, cibum. Terriculus et Lignator Stanneus nil omnino



"Leo paulo pultis pastus est."



ederunt. Toto paululum omnium rerum gustavit, et gavisus est quod rursus bene cenaverat.

Deinde femina Dorotheae lectum ad dormiendum praebuit, et Toto iuxta eam accubuit, Leone ianuam cubiculi custodiente ne interpellaretur. Terriculus et Lignator Stanneus in angulo stabant et noctem totam silebant, quamquam scilicet dormire non poterant.

Postero die, simul atque sol ortus est, viam ingressi sunt, et mox fulgorem pulchrum viridem in caelo prae se viderunt.

"Fieri non potest quin sit Urbs Smaragdorum," dixit Dorothea.

Dum progrediuntur, fulgor viridis semper splendidior fiebat, et tandem terminum itineris attingere videbantur. Non tamen ante tempus postmeridianum ad murum magnum qui Urbem circumdabat pervenerunt. Altus erat et latus et viridi splendidus colore.

Prae eis, et ad finem viae flavae latericiae, erat porta magna, smaragdis distincta qui in luce solis sic micabant ut etiam oculi picti Terriculi fulgore occaecarentur.

Erat iuxta portam tintinnabulum, quod Dorothea pulsavit et tinnitum argenteum intus audivit. Inde magna porta lente reclusa est, et omnes transierunt et se in conclavi alto arcuato esse animadverterunt, cuius parietes smaragdis innumerabilibus scintillabant.

Coram eis stabat vir statura parvus Munchkinis similis,

cuius vestimenta a caput usque ad pedes viridia erant, et etiam cutis subviridem se praestabat. Iuxta eum erat magna arca viridis.

Dorotheam et comites eius videns vir rogavit,

"Quid petitis in Urbe Smaragdorum?"


"Huc venimus ut Oz Magnum videamus," ait Dorothea.

Quod responsum virum ita attonuit ut consideret ad secum meditandum.

"Multos annos nemo a me petivit ut Oz videret," ait, caput perturbatus concutiens. "Est potens et terribilis, et si ob causam vanam aut fatuam ad cogitationes sapientes Magi Magni vexandas venitis, forsitan irascatur et vos omnes momento temporis deleat."

"Sed neque est causa fatua neque vana," respondit Terriculus. "Magni momenti est. Et nobis dictum est Oz esse Magum bonum."

"Est vere bonus," dixit vir viridis, "et Urbem Smaragdo-



rum sapienter atque bene regit. Improbis autem aut e curiositate se appetentibus, perquam est terribilis, et pauci umquam ausi sunt petere ut eum coram viderent. Ego sum Vigil Portarum, et quoniam postulatis Oz Magnum videre oportet me ad regiam eius vos ducere. Sed primum oportet inducere perspicilla."

"Cur?" rogavit Dorothea.

"Quia nisi perspicilla gereretis splendor et gloria Urbis Smaragdorum vos caecaret. Etiam incolis Urbis perspicilla dies noctesque gerenda sunt. Claustris affixa sunt, sic enim Oz imperavit cum primum Urbs condita est, et ego solam clavem habeo quae ea reserare valet."

Arcam magnam aperuit, et Dorothea vidit eam perspicillis omnium generum plenam esse. Omnibus vitrum erat viride. Vigil Portarum perspicillum Dorotheae aptum repperit et oculis imposuit. Instructum erat duabus taeniis aureis quae caput cingebant et a tergo coniunctae clavicula obseratae sunt quae ab extrema catena,






quam Vigil Portarum circum cervices gerebat, suspendebatur. Dorothea perspicillum impositum non potuit removere etiam si voluisset, sed videlicet fulgore Urbis Smaragdorum caecari nolebat, itaque nihil dixit.

Inde vir viridis Terriculo et Lignatori Stanneo et Leoni, nec non et Totoni parvo, perspicilla aptavit; quae omnia clavicula obserata sunt.

Inde Vigil Portarum suum induit perspicillum et nuntiavit se paratum esse eos ad regiam ducere. Magna clave aurea de clavo ligneo qui in pariete erat detracta, aliam portam aperuit, et omnes eum per portam in vias Urbis Smaragdorum secuti sunt.

Capitulum XI.
Mirabilis Urbs Smaragdorum OZ.





Etiam OCULIS perspicillis viridibus protectis Dorothea amicique splendore Urbis mirabilis primo caecati sunt. Ab utroque latere viae erant aedificia pulchra ex marmore viridi constructa et ubique smaragdis nitentibus distincta. Per strata ex eodem marmore viridi composita progressi sunt, cuius iuncturae smaragdis continuis arte positis ornatae erant, qui in luce solis micabant. Fenestrae ex vitro viridi erant; etiam caelum super urbe virebat, et radii solares virides erant.

Inambulabant multi, viri, feminae, liberi, omnes vestibus viridibus vestiti et cutis subviridis. Dorotheam et gregem adventicium oculis mirabundis intuiti sunt, et liberi omnes Leone viso se in fugam dederunt et post matres celaverunt; sed nemo eos adlocutus est. Ad vias erant multae tabernae, et Dorothea animadvertit omnia in eis viridia esse. Dulcia viridia et placentae virides venibant, necnon calcei virides, petasi virides et vestes virides omnium generum. Quodam in loco vir sucum citreum aqua permixtum viridem vendebat, quem cum liberi emerent Dorothea videre potuit eos nummos virides persolvere.

Neque equi neque animalia ullius generis adesse videbantur; viri res in curribus parvis viridibus, quos prae se trudebant, vehebant. Omnes prosperi laeti contenti videbantur.

Vigil Portarum eos per vias duxit donec ad aedificium magnum venerunt, accurate in media Urbe situm, quod erat Regia Oz, Magi Magni. Ante ianuam erat miles, vestitu viridi vestitus militari, qui barbam viridem promissam gerebat.

"Hic sunt advenae," ei dixit Vigil Portarum, "et videre Oz Magnum postulant."

"Ingredimini," respondit miles, "et desiderium vestrum ei tradam."

Itaque per portas Regiae ingressi sunt et in conclave magnum ducti, tapete viridi et supellectile viridi venusta cui inerant smaragdi exornatum. Miles omnes iussit pedes storea

viridi detergere antequam hoc conclave intrarent, et postquam consederunt urbane dixit,

"Commode, quaeso, vos habete dum ad ianuam Aulae eo et Oz certiorem facio vos adesse."

Diu eis exspectandum fuit antequam miles redivit. Cum demum redivisset, Dorothea rogavit,

"Vidistine Oz?"

"Non ita," respondit miles. "Numquam eum vidi. Sed adlocutus sum post tegumentum sedentem, et desiderium vestrum tradidi. Dixit se velle aditum vobis dare, si cupitis; sed uni cuique vestrum soli intrandum est, et non nisi unum per diem accipiet. Itaque, cum aliquot dies vobis in Regia manendum sit, curabo ut ad cubicula perducamini ubi ex itinere commode requiescatis."

"Gratias tibi ago," respondit puella; "Oz perbenignus est."

Inde miles fistula viridi cecinit, et statim virgo veste serica bella viridi vestita in conclave intravit. Coma pulchra et oculi virides erant, et corpore inclinato Dorotheam humiliter salutans dixit,

"Sequere me et tibi conclave tuum ostendam."

Itaque Dorothea amicos omnes praeter Totonem salvere iussit, et cane bracchiis sublato per septem porticus et scalas trinas puellam viridem secuta est dum venerunt ad cubiculum parvum in parte priore Regiae situm. Cubiculum erat quam iucundissimum, cum lecto molli et commodo linteis sericis

viridibus et stragulo velveto viridi instructo. Medio in cubiculo erat fons pusillus, qui odores virides in aërem spargebat, et postea in pelvem marmoreum viridem pulchre sculptum recidebat. Erant flores pulchri virides in fenestris, in pluteo series libellorum viridium. Quibus aperiendis cum Dorothea vacaret repperit plenos picturis viridibus insolitis quae effecerunt ut rideret, tam erant ridiculae.

In armario erant multae vestae virides e serico bombyce velveto confectae, quae omnes ad Dorotheam apte conveniebant.

"Age quasi domi esses," virgo viridis dixit, "et si quid cupis pulsa tintinnabulum. Cras te mane arcesset Oz."

Dorotheam solam reliquit et ad ceteros redivit. Eos quoque ad cubicula duxit, et quisque se in peramoena parte Regiae collocatum esse cognovit. Necessario haec humanitas in Terriculo perdita est; nam cum solus in cubiculo esset uno in loco iuxta ianuam in crastinum diem stultus stabat. Accumbens non reficeretur, neque oculos claudere poterat; itaque per noctem totam araneam parvam intuebatur quae telam in angulo cubiculi texebat, non aliter quam si non esset cubiculum illud inter cubicula in mundo mirabilissima. Lignator Stanneus ex consuetudine in cubili accubuit, nam memoria tenebat se olim ex carne constitisse; cum autem non posset dormire noctem articulos sursum deorsum movendo ut in officio manerent consumpsit. Leo cubile foliorum aridorum in silva maluisset, neque ei placebat in cubiculo concludi; erat autem sapientior quam qui vexaretur,

in lectum ergo insiluit et se more felium conglobavit et momento temporis murmurans obdormivit.

Postridie, post ientaculum, virgo viridis venit ad Dorotheam deducendam, quam veste pulcherrima vestivit—e bombyce viridi picto confecta. Dorothea pannum sibi viridem sericum praeligavit et taeniam viridem circa collum Totoni alligavit, et ad Aulam Oz Magni profecti sunt.

Primum ad atrium grande venerunt in quo erant aulici multi, mulieres et viri, omnes vestibus opulentis vestiti. Hi nil habebant quod agerent nisi ut inter se colloquerentur, sed semper mane venerunt ut extra Aulam manerent, quamquam eis Oz videre numquam licuit. Dorotheam intrantem curiosi intuiti sunt, et quidam susurravit,

"Revera Oz Terribilem coram spectatura es?"

"Nimirum," respondit puella, "si me videbit."

"Sine dubio te videbit," dixit miles qui desiderium eius Mago tradiderat, "quamquam aditum rogantibus dare non ei ad voluntatem est. Primo quidem iratus erat, et iussit te unde venisses remitti. Inde me rogavit qualem haberes aspectum, et mentio quam de calceis argenteis tuis feci multum ei studium excitavit. Postremo eum de nota in fronte tua certiorem feci, et



constituit aditum tibi dare."

Illo momento tintinnabulum sonavit, et virgo viridis Dorotheae dixit,

"Hoc est signum. Sola debes Aulam intrare."

Ianuam parvam aperuit et Dorothea audacter transivit et sese esse in loco mirabili animadvertit. Erat magnus thalamus rotundus camera excelsa opertus, cuius parietes et tectum et pavimentum magnis smaragdis densis constrata erant. Media in camera erat lumen magnum, non aliter quam sol nitens, ita ut smaragdi mirabili modo scintillarent.

Sed quod Dorotheam maxime cepit magnum erat solium marmoreum viride quod media in aula stabat. Instar sellae erat et gemmis micabat, sicut et cetera omnia. In media sella erat Caput immensum, cui nullum erat corpus subsidio neque omnino ulla erant bracchia aut crura. Capilli erant nulli in hoc capite, sed inerant oculi et nasus et os, et maius erat quam caput cuiusvis gigantis.

Ut Dorothea hoc mirans timensque aspexit oculi se lente verterunt et eam severe continueque intuebantur. Inde os se movit, et Dorothea vocem audivit:


"Ego sum Oz, Magnus et Terribilis. Quis es tu, et cur me petis?"

Pro tam grandi Capite non erat vox tam horribilis ut exspectaverat; itaque animum collegit et respondit,

"Ego sum Dorothea, Parva et Humilis. Ad te veni ad auxilium rogandum."



"Oculi eam meditantes intuiti sunt."



Oculi eam meditantes satis diu intuiti sunt. Deinde vox dixit:

"Unde calceos argenteos accepisti?"

"A Maga Mala Orientis, cum mea casa in eam decidit et eam interfecit," respondit.

"Unde notam in fronte accepisti?" vox perrexit.

"Est locus ubi Maga Bona Septentrionis me basiavit cum vale mihi dixit et me ad te misit," puella dixit.

Iterum oculi eam severe intuiti sunt, et senserunt veritatem eam dicere. Inde Oz rogavit,

"Quid me facere cupis?"

"Remitte me ad Kansam, ubi sunt Amita mea Em et Patruus Henericus," serio respondit. "Fines tui, quamvis sint amoeni, non mihi placent. Et persuasum est mihi Amitam Em perquam esse sollicitam quod tam diu absum."

Oculi ter nictaverunt, sursum inde se ad tectum verterunt et deorsum ad pavimentum et se tam mirabiliter circumvolverunt ut viderentur omnes partes thalami videre. Et postremo Dorotheam iterum intuiti sunt.

"Quare id pro te faciam?" rogavit Oz.

"Quod tu es potens et ego sum debilis; quod tu es Magus Magnus et ego sum puellula inops," respondit.

"Sed valebas interficere Magam Malam Orientis," ait Oz.

"Non nisi casu factum est," simpliciter rettulit Dorothea. "Prohibere non potui."

"Agedum," dixit Caput, "responsum meum tibi dabo. Non

iuste postulas ut te ad Kansam remittam nisi quid invicem pro me facies. In his finibus cuique pro accepto solvendum est. Si cupis me potentia mea magica uti ut te domum remittam aliquid pro me antea faciendum est tibi. Tu me iuva atque ego te iuvabo."

"Quid mihi faciendum est?" rogavit puella.

"Maga Mala Occidentis tibi interficienda est," respondit Oz.

"At non possum!" exclamavit Dorothea, improviso responso perturbata.

"Magam Orientis interfecisti et calceos geris argenteos, quibus inest potentia valde magica. Nunc restat solum una Maga Mala his in finibus, et quando poteris mihi nuntiare illam mortuam esse te ad Kansam remittam—sed non antea."

Puellula flere coepit, tam erat ob spem ereptam afflicta; oculi iterum nictaverunt et solliciti eam aspexerunt, velut si Oz Magnus sentiret eam se iuvare posse si vellet.

"Numquam quidquam mea sponte interfeci," dixit lacrimans; "etiam si vellem, quomodo possem Magam Malam interficere? Si tu ipse, qui es Magnus et Terribilis, non potes eam interficere, quomodo me id facturam esse exspectas?"

"Nescio," dixit Caput. "Hoc autem est responsum meum, et antequam Maga Mala mortua erit Patruum Amitamque non revidebis. Ne sis immemor Magam esse Malam—valde Malam—et eam interfici decet. Nunc abi, et noli rogare ut me iterum videas antequam pensum tuum exsecuta sis."

Dorothea ex Aula tristis egressa est et eo rediit quo Leo et Terriculus et Lignator Stanneus exspectabant dum quod ei dixerat Oz audirent.

"Spem omnem amisi," maesta dixit, "quia Oz non me domum mittet dum Magam Malam Occidentis interficiam, id quod numquam facere potero."

Amici eam miserati sunt, nequaquam autem opitulari poterant; itaque ad cubiculum suum rediit accubuitque in lecto et lacrimando sese sopivit.

Proximo die miles barba viridi mane ad Terriculum venit et dixit,

"Veni mecum, Oz enim te arcessivit."

Terriculus ergo eum secutus admissus est in Aulam grandem, ubi mulierem amabilissimam, in solio viridi sedentem, vidit. Sericis viridibus vestita erat et in cirris fluentibus viridibus coronam gemmatam gerebat. Ex umeris crescebant alae, resplendentes colore et tam leves ut aura minutissima tacta agitarentur.



Illa Terriculum, cum, corpore tam lepide quam pro tomento stramineo poterat inclinato, hanc pulchram personam salutavisset, dulciter adspexit, et dixit,

"Ego sum Oz, Magnus et Terribilis. Quis es tu, et cur me petis?"

Obstupuit quidem Terriculus, qui exspectaverat se Caput magnum de quo Dorothea ei narraverat visurum esse; sed fortiter respondit.

"Non sum nisi Terriculus, stramine stipatus. Quare nullum habeo cerebrum, et ad te venio orans ut cerebrum mihi in capite pro stramine ponas, ut fieri possim vir talis qualis quivis alius in tuis finibus."

"Quare id pro te faciam?" rogavit mulier.

"Propterea quod sapiens et potens es, et nullus alius me iuvare potest," respondit Terriculus.

"Numquam quid gratum facio nisi beneficium vicissim accipio," dixit Oz, "sed hoc promittam. Si mihi Magam Malam Occidentis interficies, te multiplici cerebro donabo, et quidem tam bono ut sapientissimus exsistas in omni Terra Oz."

"Putabam te a Dorothea petivisse ut Magam interficeret," dixit Terriculus attonitus.

"Sic est. Non mea refert quis eam interficiat. Sed non ante preci tuae satisfaciam quam mortua erit. Abi nunc, et noli me iterum petere antequam cerebrum tam avide optatum merueris."

Terriculus tristis ad amicos reversus est et rettulit quid Oz

dixisset; et Dorothea mirabatur Magum Magnum non Caput esse, qualem ipsa vidisset, sed mulierem amabilem.

"Nihilominus," Terriculus dixit, "caret corde non secus atque Lignator Stanneus."

Proximo die miles barba viridi mane ad Lignatorem Stanneum venit et dixit,

"Oz te arcessivit. Sequere me."

Lignator Stanneus igitur eum secutus est et venit ad Aulam magnam. Nesciebat utrum Oz mulier amabilis foret an Caput, sperabat autem mulierem fore amabilem. "Quia," sibi dixit, "si erit Caput, certus sum me cor non accepturum esse, cum capiti nullum sit cor et igitur non possit mei misereri. Quod si erit mulier amabilis cor vehementer petam, nam fertur omnes mulieres misericordes esse ipsas."

Sed cum Lignator Aulam magnam intravisset neque Caput neque Mulierem vidit, quia Oz sibi formam Bestiae summe horribilis sumpserat. Magnitudine instar erat fere elephantis, et solium viride haud videbatur satis valere ad pondus sustinendum. Bestiae caput erat simile capiti rhinocerotis, erant autem in vultu oculi



quinque. E corpore eminebant quinque bracchia longa, quinque quoque erant crura longa macraque. Villus crassus et lanosus eam ubique adoperiebat, et monstrum horribilius mente fingi non poterat. Bene accidit ut eo momento Lignator Stanneus cor non haberet, quia ex terrore fortiter et celeriter palpitavisset. Sed cum e mero stanno factus esset, Lignator haud timuit, quamvis animo multum deiectus esset.

"Ego sum Oz, Magnus et Terribilis," dixit Bestia, voce utens quae non erat nisi magnus rugitus. "Quis es tu, et cur me petis?"

"Ego sum Lignator, et ex stanno factus. Quare nullum cor habeo, et amare non possum. Oro ut mihi cor des ut talis esse possim quales sunt homines ceteri."

"Quare id faciam?" poposcit Bestia.

"Quia oro, et tu solus precibus meis satisfacere potes," respondit Lignator.

His dictis Oz rugitum summissum edidit, atque aspere dixit,

"Si revera cor desideras, est merendum."

"Quomodo?" rogavit Lignator.

"Opem fer Dorotheae ut Magam Malam Occidentis interficere possit," respondit Bestia. "Ubi Maga mortua erit, veni ad me, et tum tibi cor maximum et benignissimum et amantissimum dabo in omni Terra Oz."

Itaque Lignatori Stanneo triste ad amicos redeundum et eis de Bestia terribili quam viderat referendum erat. Magnopere

mirabantur omnes formas multas quas Magus Magnus sumere poterat, et

"Si erit Bestia," inquit Leo, "cum eam videbo, rugiam voce quam maxima, et sic eam territabo ut omne desiderium mihi expleat. Et si erit mulier amabilis, simulabo me in eam salturum esse, et ita cogam ut mea iussa faciat. Et si Caput magnum erit, in mea manu erit; nam circa thalamum hoc caput volvam dum promittat se nobis quae cupimus daturum esse. Itaque estote bono animo, amici mei, nam omnia tandem se in melius vertent."


Postero die miles barba viridi mane Leonem ad Aulam magnam duxit et ad Oz prodire iussit.

Leo extemplo per ianuam ingressus est, et circumspiciens attonitus vidit ante solium Globum Igneum, tam acriter ardentem ut vix posset intueri. Primo in mentem ei venit Oz casu exarsisse et flammis consumi; at, cum appropinquare conaretur, calor tam intentus erat ut barbam ei adureret, et tremebundus se propius ianuae repens recepit.

Tum vox summissa et quieta e Globo Igneo orta est, cuius haec erant dicta:

"Ego sum Oz, Magnus et Terribilis. Quis es tu, et cur me petis?" Et Leo respondit,

"Ego sum Leo Ignavus, qui omnia timeo. Ad te veni ut orarem ut mihi virtutem des, ut possim fieri revera Rex Bestiarum, ut homines me vocant."



"Quare virtutem tibi donem?" poposcit Oz.

"Propterea quod omnium Magorum tu es maximus, et tu solus desiderio meo satisfacere potes," respondit Leo.

Globus Igneus aliquamdiu acriter flagrabat, et vox dixit,

"Affer mihi indicium certum Magam Malam mortuam esse, et illo momento tibi virtutem dabo. Sed dum Maga vivit te ignavum esse oportet."

Leo his dictis iratus est, nihil autem respondere potuit, et dum tacitus stat Globum Igneum intuens tanto illud ardore ferbuit ut se converteret et ex thalamo rueret. Gavisus est amicos reperire se exspectantes, et eos de colloquio cum Mago terribili certiores fecit.

"Quid nunc faciemus?" tristis rogavit Dorothea.

"Non est nisi unum consilium nobis," rettulit Leo, "quod est ire ad fines Winkium, et Magam Malam exquirere, et eam delere."

"At quid si non poterimus?" dixit puella.

"Tum numquam virtutem habebo," affirmavit Leo.



"Et ego numquam cerebrum habebo," addidit Terriculus.

"Et ego numquam cor habebo," dixit Lignator Stanneus.

"Et ego numquam Amitam Em et Patruum Henericum revidebo," dixit Dorothea, lacrimare incipiens.

"Caveto!" exclamavit virgo viridis. "Lacrimae in vestem viridem sericam decident, et maculis aspergent."

Itaque Dorothea lacrimas abstersit et dixit,

"Opinor conandum nobis esse; at certe nolo quemquam interficere, ne Amitam Em quidem revidendi causa."

"Te comitabor; quamquam multo ignavior sum quam ut Magam interficiam," dixit Leo.

"Ibo et ego," inquit Terriculus; "sed tibi magno auxilio non ero quoniam tam fatuus sum."


"Mihi non est cor cui curae sit nocere etiam Magae," dixit Lignator Stanneus; "sed si ibis ego te certe comitabor."

Itaque placuit proficisci mane postero die, et Lignator securim cote viridi acuit et omnes articulos oleo recte lubricandos curavit. Terriculus se novo stramine farsit et Dorothea pigmentum novum oculis addidit quo melius videre posset. Virgo viridis, quae eis amicissima erat, corbem Dorotheae cibariis bonis implevit, et taenia viridi parvum tintinnabulum collo Totonis affixit.


Satis mature cubilia petiverunt et bene usque ad primam lucem dormiverunt, quo tempore cantus galli viridis qui in area post regiam habitabat, et cacillatus gallinae quae ovum viride pepererat eos e somno excitaverunt.

Capitulum XII.
Inquisitio Magae Malae





"Traduxit eos Miles barba viridi per vias."


OZ




Traduxit eos miles barba viridi per vias Urbis Smaragdorum dum venerunt ad conclave ubi Vigil Portarum habitabat. Hic apparitor perspicilla eis reseravit ut in arcam magnam reponeret, et deinde portam urbane amicis nostris aperuit.

"Quae via ad Magam Malam Occidentis fert?" rogavit Dorothea.

"Nulla est via," Vigil Portarum respondit. "Nemo in eam partem ire umquam cupit."

"Quomodo igitur eam reperire possumus?" puella sciscitata est.

"Facile erit," respondit vir, "nam cum compererit vos esse in finibus Winkium vos reperiet ea, et vos omnes in servitutem rediget."



"Fortasse non sic accidet," dixit Terriculus, "nam consilium nobis est eam delere."

"Ista est res alia," dixit Vigil Portarum. "Nemo eam umquam antea delevit, quare necessario rebar eam vos in servitudinem redacturam esse, ut omnes ceteros. Sed cavete; nefaria est et fera, et fieri potest ut non sinat vos se delere. Semper Occidentem petite, ubi sol occidit, et non poteritis eam non invenire."

Gratias ei egerunt et valedixerunt, et ad Occidentem se verterunt, per campos progredientes ubi herba tenera bellidibus compluribus locis ranunculisque distincta erat. Dorothea adhuc vestem bellam quam in regia induerat gerebat, nunc autem animadvertit eam non iam viridem esse sed omnino albam. Taenia quoque quae collum To-

tonis circumdabat colorem viridem amiserat et tam alba quam vestis Dorotheae erat.

Mox Urbs Smaragdorum longe post eos relicta est. Solum progredientibus asperius clivosiusque factum est, nam neque fundi neque casae erant in hac regione Occidentali, et terra inculta erat.

Post meridiem sol eis ardenter in os fulgebat, quia arbores quae umbram praeberent deerant; ante noctem ergo Dorothea et Toto et Leo defessi erant, et in gramine accubuerunt et se somno dederunt, Lignatore Terriculoque vigilantibus.

Maga Mala autem Occidentis non nisi unum oculum habebat, quod tamen tam efficax erat quam telescopium, et passim videre valebat. Itaque accidit ut in ianua castelli sui sedens circumspiceret et Dorotheam dormientem, ab amicis circumdatam, videret. Longe aberant, at Maga Mala irata erat eos in finibus suis invenire; itaque fistula argentea quae ei circum collum pendebat cecinit.

Occurrit statim undique magnorum grex luporum, quibus erant crura longa et oculi feri et dentes acuti.

"Illos aggredimini," ait Maga, "et diripite."

"Num eos tibi servire coges?" rogavit dux luporum.

"Minime vero," respondit. "Alius e stanno factus est, et alius e stramine, alia est puella et alius est Leo. Nemo eorum aptus est labori, quare licet vobis eos in minutas partes dilacerare."

"Bene est," dixit lupus, et, ceteris sequentibus, quam celerrime se proripuit.

Bene accidit ut Terriculus Lignatorque vigilarent et venientes audirent lupos.


"Haec mea pugna est," dixit Lignator, "ergo post me consiste et adgredientibus occurram."

Securim sumpsit, quam summe exacuerat, et ut dux luporum appropinquavit Lignator Stanneus bracchium iactavit et a corpore lupi caput abscidit, ita ut extemplo moreretur. Cum primum securim tollere potuit lupus alius prosiluit, et ille quoque cecidit sub acie acuta teli Lignatoris Stannei. Erant quadraginta lupi et quadragiens lupus interfectus est, sic ut demum omnes acervatim ante Lignatorem mortui iacerent.

Deinde securim deposuit et iuxta Terriculum consedit, qui dixit,

"Amice, erat bona pugna."

Exspectabant dum postero die mane Dorothea experrecta est. Puellula satis territa est cum acervum magnum luporum villosorum videret, sed Lignator Stanneus omnia ei narravit. Gratias ei egit quod eos servaverat et ad ientaculum consedit, quo sumpto rursus profecti sunt.



Eodem autem die mane Maga Mala ad ianuam castelli venit et oculo uno qui longe videre valebat prospexit. Cernebat omnes lupos suos mortuos iacentes, et advenas per fines suos adhuc progredientes. Quare iratior quam ante facta est, et bis fistula argentea cecinit.

Extemplo grex magna cornicum ferarum ad eam advolavit, tam multae ut caelum caligarent. Et Maga Mala Regi Cornicum dixit,

"Statim ad advenas volate; oculos eis rostris eripite et ipsos diripite."

Cornices ferae universae ad Dorotheam et comites volaverunt. Cum puella illas venientes videret anxia erat. At Terriculus dixit,

"Hoc meum proelium est; deponite ergo vos iuxta me et non laedemini."

Omnes igitur praeter Terriculum se in solo posuerunt, et ille se erexit bracchiaque extendit. Quem cum cornices viderent perterritae sunt, ut fieri solet cum hae aves terriculum videant, neque propius accedere ausae sunt. At Rex Cornicum dixit,

"Non est nisi vir stipatus. Oculos ei rostro eripiam."

Rex Cornicum ad Terriculum advolavit, qui eum capite prehendit et collum ei torsit dum mortuus erat. Et deinde alia cornix ad eum advolavit, et Terriculus ei quoque collum torsit. Erant quadraginta cornices, et quadragiens Terriculus collum torsit, donec demum omnes mortuae prope eum iacebant. Tum comites surgere iussit, et rursus profecti sunt.





Cum Maga Mala iterum prospiceret et omnes cornices suas acervatim iacentes videret, furore inflammata est, et ter fistula argentea cecinit.




Sine mora susurrus magnus in aëre auditus est, et examen apium nigrarum ad eam advolavit.



"Ad advenas procedite et aculeis eos necate!" imperavit Maga, et apes se converterunt et rapide volaverunt dum venerunt ad locum ubi Dorothea amicique incedebant. Sed Lignator venientes viderat, et Terriculus decreverat quid faciendum esset.

"Stramen mihi exime et super puellulam et canem et Leonem sparge," Lignatori dixit, "et apes eos mordere non poterunt." Quod fecit Lignator, et Dorothea iuxta Leonem iacente Totonemque in bracchiis tenente, stramine eos omnino adoperuit.



Apes advenerunt et neminem nisi Lignatorem quem mordere possent repperunt, itaque ad illum advolaverunt et omnes aculeos in stanno abruperunt, ne minimum quidem Lignatori nocentes. Et cum apes aculeis abruptis vivere nequeant ille exitus erat apium nigrarum, et circum Ligna-



torem confertim sparsae iacebant, velut acervi parvi carbonis tenuis.


Deinde Dorothea et Leo se erexerunt, et puella Lignatori Stanneo stramen in Terriculum reponenti aderat, donec tam integer erat quam antea. Itaque denuo profecti sunt.

Maga Mala tam irata erat cum videret apes suas nigras in acervis parvis iacentes velut carbonem tenuem ut terram pede percussit et capillos sibi evellit et dentibus frenderet. Et deinceps duodecim e servis arcessivit, qui Winkies erant, et eis hastas acutas dedit, et imperavit ut ad advenas irent et eos delerent.


Winkies non erant animosi, sed eis dicto audiendum erat; itaque iter fecerunt dum ad Dorotheam appropinquaverunt. Tum Leo rugitum magna voce edidit et prosiluit, et miseri Winkies tam territi sunt ut terga verterent et quam celerrime refugerent.

Ad castellum reversos Maga Mala flagello bene verberavit, et ad laborem remisit, quo facto consedit ut cogitaret quid deinceps facere deberet. Non potuit intellegere quomodo omnia consilia sua ad hos advenas delendos defecissent; erat autem cum mala tum potens etiam Maga, et mox constituit quid factura esset.

Erat sibi, in armario, Petasus Aureus, orbe adamantum carbunculorumque circumdatus. Huic Petaso Aureo potentia quaedam inerat. Cuicumque qui illum possidebat licebat ter arcessere Simios Alatos, qui imperata sibi data omnia facerent.



Nemini autem licuit imperata his animalibus mirabilibus plus dare quam ter. Iam bis Maga Mala potentia Petasi usa erat. Primum cum Winkies in servitutem redegerat, et perfecerat ut in illorum finibus regeret. Simii Alati ei hoc agenti subvenerant. Iterum cum dimicaverat contra Oz Magnum ipsum, et eum e finibus Occidentis expulerat. Simii Alati ei hoc quoque agenti subvenerant. Semel solum ei licebat hoc Petaso Aureo denuo uti, quare id facere nolebat antequam ceteras opes omnes consumpsisset. Iam autem destructis lupis saevis et cornicibus feris et apibus mordentibus, et servis suis a Leone Ignavo fugatis, unum dumtaxat modum superesse percepit quo Dorotheam amicosque deleret.



Itaque Maga Mala ex armario Petasum Aureum sumpsit et sibi in capite posuit. Inde in pede sinistro stetit et lente dixit,

"Ep-pe, pep-pe, kak-ke!"

Tum in pede dextro stetit et dixit,

"Hil-lo, hol-lo, hel-lo!"

Hoc facto in ambobus pedibus stetit et magna voce clamavit,

"Ziz-zy, zuz-zy, zik!"

Iam incantatio proficere coepit. Caelum se caligavit, et fremor summissus in aëre auditus est. Praecipitatio erat

multarum alarum, vehementer garriebatur et ridebatur, et sol e caligine se emergens Magam Malam multitudine simiorum circumdatam patefecit, quorum unusquisque in umeris par gerebat alarum ingentium potentiumque.

Quidam, multo ceteris grandior, dux esse videbatur. Ad Magam Malam prope advolavit et dixit,

"Nos tertium et ultimum arcessisti. Quid imperas?"

"Procedite ad advenas qui sunt in finibus meis et praeter Leonem omnes delete," Maga Mala dixit. "Illam bestiam ad me affer, nam in animo habeo ei velut equo frenos inicere, et laborare cogere."

"Imperatis tuis parebitur," dixit dux. Tum, multum garrientes strepentesque, Simii Alati ad locum ubi Dorothea amicique incedebant avolaverunt.

Simii quidam Lignatorem Stanneum rapuerunt et per aëra vexerunt dum ad regionem saxis acutis dense tectam venerunt.



Hic Lignatorem miserum demiserunt, qui per spatium magnum in saxa cecidit, ubi tam fractus contususque iacebat ut neque se movere neque gemere valeret.

Alii Simii Terriculum prehenderunt, et digitis longis omne stramen ex vestibus ei et capite extraxerunt. Fasciculum e petaso et caligis et vestibus conglobaverunt et in ramos summos arboris altae coniecerunt.

Simii ceteri funem validum Leoni circumiecerunt et crebro corpus ei caputque et crura circumplicaverunt, quoad neque mordere neque unguibus uti neque ullo modo luctari potuit. Deinde eum sustulerunt et secum vehentes ad castellum Magae avolaverunt, ubi in area parva alto saepto ferreo circumdata, ne effugere posset, depositus est.

At Dorotheae iniuriam intulerunt nullam. Stabat illa, Totonem bracchiis complectens, sortem tristem comitum spectans et reputans iam suam vicem futuram esse. Dux Simiorum Alatorum ad eam advolavit, bracchiis longis villosisque extentis atque vultu turpi atrociter distorto; sed cum notam basiae Magae Bonae in fronte videret cessavit et signum ceteris dedit ne eam tangerent.

"Huic puellulae nocere non audemus," eis dixit, "nam a Potentia Boni protegitur, quae plus valet quam Potentia Mali. Solum possumus eam ad castellum Magae Malae portare ibique relinquere."

Itaque, prudenter molliterque, Dorotheam bracchiis sustulerunt et velociter per aërem vexerunt donec ad castellum venerunt, ubi eam prae ostio deposuerunt. Deinde dux Magae dixit,

"Tibi paruimus quoad potuimus. Lignator Stanneus Terriculusque deleti sunt, et Leo in area tua alligatus est. Puellam parvam laedere non audemus, neque canem quem bracchiis tenet. Auctoritas qua manu nostra utebaris nunc finita est, et numquam nos revidebis."

Deinde Simii Alati omnes, magno cum risu strepituque garrientes, in aërem volaverunt et mox e conspectu erant.

Maga Mala et attonita et sollicitata est cum notam in fronte Dorotheae videret, nam bene sciebat neque Simios Alatos neque se ipsam audere ullo modo puellam laedere. Ad pedes



Dorotheae despexit, et postquam Calceos Argenteos vidit, metu tremere coepit, quoniam sciebat qualis potentia eis inesset. Primo Maga ut Dorotheam effugeret inducebatur; accidit autem ut oculos puellae inspiceret ac cognovit quam simplex anima ibi lateret, atque puellulam nescire qualem potentiam mirabilem Calcei Argentei sibi dedissent. Quare Maga Mala secum risit, et putavit, "Nihilominus servire mihi eam cogere possum, quia nescit quomodo potentia utatur." Inde Dorotheae dixit, acerbe et severe,

"Veni mecum; et cura ut omnibus in rebus mihi pareas, nam nisi parebis exitium tibi efficiam, quomodo Lignatori Stanneo et Terriculo effeci."


Dorothea per conclavia multa et pulchra in castello eam secuta est dum ad culinam venerunt, ubi Maga eam iussit ollas lebetesque purgare et solum verrere et ignem lignis alere.

Dorothea summisse pensa facere incepit, parata quam diligentissime laborare; nam gaudebat quod Maga Mala se non interficere decreverat.

Dorothea assidue laborante, Magae visum est in aream ire et Leoni Ignavo velut equo frenos inicere; pro certo habebat cogere eum carrum trahere quotienscumque vectari vellet se oblectaturum esse. At cum ostium aperiret Leo vehementer rugivit et tam ferociter contra eam prosiluit ut Maga timeret, et se eriperet et ostium rursum clauderet.



"Simii crebro corpus ei circumplicaverunt."



"Si non possum frenos tibi inicere," Maga Leoni dixit, loquens per cancellos ostii, "fame te vincere possum. Nil ad edendum habebis dum facias quae volo."

Postea ergo cibum Leoni in area velut carcere incluso nullum attulit; cotidie autem meridie ad ostium veniebat et rogabat,

"Visne subiungi velut equus?"

Et Leo respondebat,

"Nolo. Si in hanc aream venies te mordebo."

Quod Leo non cogebatur quae Maga volebat facere ex eo manavit quod noctu, femina dormiente, Dorothea semper cibum ei ex armario attulit. Quo sumpto in lecto stramineo accumbebat, et Dorothea iuxta iacebat et caput contra iubam mollem et villosam ponebat, dum de miseriis suis colloquuntur et conantur consilia ad evadendum capere. At nullam rationem e castello effugiendi reperire poterant, quippe quod a Winkibus flavis, qui erant servi Magae Malae et plus eam timebant quam ut non parerent, semper custodiebatur.

Interdiu puellae ardue laborandum erat, et Maga saepe minabatur se eam eodem tegumento pluviali vetere caesuram esse quod semper in manu gerebat. Revera autem non audebat Dorotheam attingere, propter notam in fronte. Puella hoc nesciebat, et magnopere sibi Totonique timebat. Aliquando Maga Totonem tegumento pluviali cecidit et parvus canis animosus

in eam prosiluit et vicissim ei crus momordit. Maga sanguinem non effudit qua morsa est, nam tam erat nefaria ut sanguis ei multis ante annis exaruerat.

Vita Dorotheae miserrima fiebat ut coepit intellegere reditum ad Kansam et ad Amitam Em difficilius quam umquam fore. Nonnumquam acerbe horas totas flebat, Totone ad pedes ei sedente vultumque intuente et maeste eiulante ut ostenderet se magnopere dominae parvae misereri. Revera Totonis non intererat utrum in Kansa esset an in Terra Oz dummodo Dorothea secum esset; sed sciebat puellulam miseram esse, quare ille quoque miser erat.

Magae Malae autem desiderium magnum erat Calceos possidere Argenteos quos puella semper gerebat. Apes suae et cornices et lupi in acervis iacebant et exarescebant, et vis omnis potentiae Petasi Aurei consumpta erat; sed si modo Calceis Argenteis potiri posset maiorem potentiam haberet quam omnia amissa ei dederant. Dorotheam diligenter observabat, si umquam calceos poneret, cogitans se eos posse surripere. Puella autem bellis calceis tam elata erat ut eos numquam poneret nisi noctu et cum lavabatur. Maga tenebras magis timebat quam ut auderet cubiculum Dorotheae noctu ad calceos auferendos intrare, et aquam magis quam tenebras reformidabat, numquam igitur adventavit cum Dorothea lavabatur. Revera, Maga vetula aquam numquam tangebat, neque umquam concessit ut se aqua ullo modo tangeret.

Sed nefaria illa erat vaferrima, et postremo dolum excogitavit quo id quod optabat adipisceretur. Perticam ferream in medio solo culinae deposuit, et arte magica effecit ut oculis humanis cerni non posset. Itaque Dorothea per solum incedens pedem pertica offendit, quam videre non poterat, et prona cecidit. Corpus non multum laesit, sed cadens alterum e Calceis Argenteis amisit, quem antequam ipsa manu prehendere posset abripuit Maga et pedi suo macro induit.

Quod dolus feliciter sibi evenerat magnopere feminae nefariae placuit, nam dum calceum alterum habebat partem potentiae dimidiam possidebat, quam Dorothea contra se adhibere non poterat, etiam si id facere scivisset.

Puellula, videns se alterum ex calceis bellis amisisse, irritata est, et Magae dixit,


"Redde mihi calceum meum!"

"Non reddam," respondit Maga acriter, "nam nunc est mihi, et non tibi."

"Tu nefaria es!" exclamavit Dorothea. "Non licet tibi adimere mihi calceum."

"Nihilominus eum retinebo," dixit Maga, eam deridens, "et aliquando alterum quoque tibi adimam."

Quae dicta Dorotheam ita irritaverunt





ut situlam aqua plenam quae iuxta stabat tolleret et aquam super Magam coniceret, quo facto a capite ad pedes illa madefacta est.

Extemplo femina nefaria ex timore acute ululavit; et tum, Dorothea mirabunde spectante, Maga coepit se contrahere deminuique.

"Eheu! Quid fecisti!" exclamavit. "Puncto temporis liquescam."

"Valde quidem me paenitet," dixit Dorothea, quae profecto perterrita erat cum Magam revera veluti saccharum fuscum ante oculos suos liquescentem videret.


"Nonne sciebas aquam exitum mihi fore?" rogavit Maga, voce ploranti et desperanti.

"Sane nesciebam," respondit Dorothea. "Quomodo potui?"


"Ecce, brevi tempore omnino liquefacta ero, et castellum sola habebis. Aetate mea impia fui, sed numquam rata sum eventurum esse ut puella parva qualis es tu umquam possit me liquefacere et facta mea nefaria ad finem perducere. Cave—sic pereo!"

His dictis Maga, mutata forma, velut moles fusca liquefacta et informis delapsa est et super tabulas mundas soli culinae se diffundere coepit. Cum videret eam reapse sic liquefactam esse ut nihil restaret, Dorothea aliam situlam aqua implevit et in rem informem iniecit, quam deinde totam ex ianua everrit. Calceum argenteum, qui solus vetulae supererat, sublatum, et

purgatum et panno detersum, in pede reposuit. Deinde, tandem liberata et percipiens sibi licere ad voluntatem agere, ad aream cucurrit ad Leonem certiorem faciendum Magam Malam Occidentis periisse, atque sese non iam captivos in terra peregrina esse.



Capitulum XIII.
Liberatio





EX ANIMO LEO

Ignavus gavisus est audiens Magam Malam situla aquae plena liquefactam esse, et Dorothea statim ostium carceris reseravit et eum liberavit. Una castellum intraverunt, ubi primum omnium Dorothea omnes Winkies convocavit et certiores fecit eos non iam servos esse.

Inter flavos Winkies magna erat laetitia, nam multos annos pro Maga Mala laborare coacti erant, quae crudelitate magna semper eos tractaverat. Hunc diem et tunc et semper postea celebraverunt, et tempus epulando saltandoque egerunt.

"Si modo amici nostri, Terriculus et Lignator Stanneus, nobiscum essent," Leo dixit, "omnino laetus essem."

"Nonne opinaris nos eos servare posse?" anxie rogavit puella.

"Conari possumus," respondit Leo.

Itaque flavos Winkies arcessiverunt et rogaverunt si vellent sibi ad amicos liberandos auxilio esse, et Winkies dixerunt se libenter omnia facturos esse quae pro Dorothea possent, quae sese servitudine liberavisset. Itaque aliquot Winkies qui plurimum sapere videbantur delegit, et omnes profecti sunt. Per illum diem et partem posteri iter fecerunt dum ad planitiem saxeam venerunt ubi Lignator Stanneus, prorsus infractus inflexusque, iacebat. Securis prope aderat, sed lamina robigine obducta et capulo abrupto.

Winkies eum bracchiis pie sustulerunt, et ad castellum flavum rettulerunt, Dorothea ob casum maestum amici veteris paucas lacrimas obiter effundente, et Leone aspectum gravem tristemque praebente. Cum ad castellum pervenissent Dorothea Winkibus dixit,

"Suntne apud vos fabri stannei?"

"Certe sunt; complures nostrum periti arte stannea sunt," ei dixerunt.

"Adducite igitur eos ad me," dixit. Et cum fabri stannei venissent, secum in corbibus instrumenta sua omnia portantes, quaesivit,

"Potestisne contusiones illas in Lignatore Stanneo corrigere,



"Fabri stannei tres dies et quattuor noctes laboraverunt."



et eum in formam propriam redigere, et fracturas ferruminare?"

Fabri stannei, Lignatore diligenter inspecto, responderunt se opinari fieri posse ut eum sic reficerent ut tam bonus esset quam antea. Opus igitur in conclave quodam castelli magno et flavo aggressi sunt et tres dies et quattuor noctes laboraverunt, cudentes torquentes flectentes ferruminantes polientes tundentes crura corpus caput Lignatoris Stannei, dum demum in formam antiquam restitutus est, et articulis tam bene quam antea functus est. Nonnullae certe sarturae in eo apparebant, sed fabri stannei opus bonum fecerant, et Lignator, ut qui forma non superbiret, sarturas nequaquam moleste ferebat.

Cum denique conclave Dorotheae ingressus ei propter liberationem gratias ageret, tam laetus erat ut lacrimas gaudens effunderet, et Dorotheae una quaeque lacrima a facie panno suo diligenter abstergenda esset, ne articuli robigine obduceruntur. Ipsi quoque lacrimae frequentes cadebant gaudenti quod iterum amicum veterem invenerat, et has lacrimas non opus erat abstergere. Leo quidem oculos tam saepe fine caudae tersit ut admodum madefieret ea, et in aream egresso in sole tenenda esset dum siccaretur.

"Si modo Terriculum iterum nobiscum haberemus," dixit Lignator Stanneus, cum Dorothea narrationem omnium quae acciderant peregisset, "omnino laetus essem."

"Conari eum reperire debemus," dixit puella.

Itaque Winkies ad auxilium arcessivit, et per totum illum diem et partem posteri iter fecerunt dum ad arborem altam venerunt in cuius ramis Simii Alati vestes Terriculi coniecerant.

Erat arbor altissima, et truncus tam levis ut nemo ascendere valeret; at Lignator statim dixit,

"Illam abscidam, quo facto vestes Terriculi reciperare poterimus."

Fabris autem stanneis in Lignatorem ipsum reficiendo occupatis, alius ex Winkibus, qui aurifex erat, capulum solido ex auro fabricatus erat et securi Lignatoris pro capulo vetere atque fracto aptaverat. Alii laminam poliverant dum robigine omni remota velut argentum fulsit levigatum.

Simul atque locutus est, Lignator Stanneus caedere coepit, et brevi tempore arbor cum fragore decidit, quo tempore vestes Terriculi e ramis exciderunt et in terra voluti sunt.

Quas Dorothea suscepit et Winkibus praecepit ut ad castellum referrent, ubi bono stramine mundo stipatae sunt; et, ecce! exstitit Terriculus, tam bonus quam umquam, gratias eis agens iterum atque iterum quod eum servavissent.

Rursus itaque coniuncti, Dorothea amicique paucos dies festivos apud Castellum Flavum egerunt, ubi omnia reppererunt quorum ad commode vivendum egebant. Aliquando autem puellae in mentem venit Amita Em, et dixit,

"Redeundum est nobis ad Oz, et vindicanda quae promisit."

"Sic est," dixit Lignator, "tandem cor meum accipiam."

"Et ego cerebrum meum accipiam," laete addidit Terriculus.

"Et ego virtutem meam accipiam," dixit Leo cogitabundus.

"Et ego ad Kansam redibo," exclamavit Dorothea, manibus plaudens. "Agite, cras ad Urbem Smaragdorum proficiscamur!"

Placuit ita facere. Postero die Winkies convocaverunt et eis valedixerunt. Winkies discessu illo dolebant, et tam studiosi Lignatoris Stannei facti erant ut eum orarent remanere atque sibi Terraeque Flavae Occidentis praeesse. Cum certum esse eis abire comprehendissent, torquem et Totoni et Leoni aureum dederunt; et Dorotheam armilla pulchra adamantibus distincta donaverunt; et Terriculo baculum capulo aurato dederunt, ne pedibus titubaret; et Lignatori Stanneo urceum olei argenteum auro caelatum et gemmis adornatum praebuerunt.



Unus quisque viatorum per ordinem orationem bellam apud Winkies habuit, et omnes tam violenter dextras cum eis iunxerunt ut bracchia sibi dolerent.



Dorothea ad armarium Magae ivit ut corbem cibo viatico impleret, et ibi Petasum Aureum vidit. Quem in capite experta suo cognovit sibi accurate aptum esse. De potentia Petasi Aurei nihil sciebat, videns autem eum bellum esse, constituit ipsa gerere et petasum solarem in corbe secum auferre.


Deinde omnes, ad viam iam parati, ad Urbem Smaragdorum profecti sunt; et Winkies ter eis acclamaverunt et omnia fausta felicia fortunataque optaverunt.

Capitulum XIV.
Simii Alati





Viam esse nullam inter castellum Magae Malae et Urbem Smaragdorum—ne semitam quidem—in memoria tenetis. Cum quattuor viatores profecti essent ut Magam quaererent illa eos venientes viderat, itaque Simios Alatos miserat ut eos ad se afferrent. Multo difficilius erat per campos magnos ranunculis atque bellidibus flavis plenos viam reperire reditus quam cum vecti erant. Sciebant sane cursum prorsus in orientem dirigendum esse, ad solis ortum; et in partem veram profecti sunt. Meridie autem, sole super capitibus fulgente, nesciebant qua esset ori-



ens et qua occidens, quare in campis magnis a via erraverunt. Incedere autem perstiterunt, et noctu luna apparuit et clare luxit. Decubuerunt ergo inter flores flavos fragrantes et alte usque ad primam lucem dormiverunt—exceptis Terriculo et Lignatore Stanneo.

Postero die autem sole se post nubem tenente nihilominus profecti sunt, tamquam admodum essent certi in quam partem irent.


"Si satis longe ambulabimus," dixit Dorothea, "certa sum nos aliquando aliquo venturos esse."

Dies autem diem excipiebat, et semper nihil ante se videbant nisi campos flavos. Terriculus paululum murmurare coepit.

"Certe a via aberravimus," dixit, "et nisi satis temperi ad eam revertemur ut ad Urbem Smaragdorum perveniamus cerebrum meum numquam obtinebo."

"Neque ego cor meum," declaravit Lignator Stanneus. "Vix posse mihi videor exspectare dum ad Oz perveniam, et confitendum est vobis hoc iter esse longissimum."

"Ut videtis," dixit Leo Ignavus, miserabiliter eiulans, "virtus mihi deest qua semper iter continuam, cum nusquam omnino perveniamus."



Tum Dorotheae animus defecit. In gramine consedit comitesque intuita est, et illi consederunt eamque intuiti sunt, et Toto nunc primum sensit se defessiorem esse quam ut papilionem qui caput

sibi praetervolabat persequeretur; quare linguam extendit et anhelavit et Dorotheam intuitus est velut rogans quid nunc eis faciendum esset.

"Agedum Mures Agrestes arcessamus," proposuit illa. "Veri simile est eos nobis viam ad Urbem Smaragdorum ostendere posse."




"Certe poterunt," exclamavit Terriculus; "cur non hoc antea reputavimus?"

Dorothea fistula parva cecinit quam sibi a Regina Murum datam semper circum collum gerebat. Paucis momentis temporis crepitum audiverunt pedum minutissimorum, et murum ei parvorum ravorum accurrerunt multi. Inter eos Regina erat ipsa, quae vocula stridenti rogavit,

"Quid pro meis amicis facere possum?"

"A via aberravimus," dixit Do-



rothea. "Potesne nobis monstrare ubi sit Urbs Smaragdorum?"

"Certe possum," respondit Regina; "longe autem distat, nam post tergum vobis usque fuit." Tum Petasum Aureum Dorotheae animadvertit, et dixit, "Cur non potentia Petasi uteris, arcessisque ad te Simios Alatos? Ante horam elapsam ad Urbem Oz vos advehent."

"Nesciebam esse potentiam," respondit Dorothea, attonita. "Qualis est?"

"Intra Petasum Aureum descripta est," respondit Regina Murum; "at si Simios Alatos arcessura es nobis aufugiendum erit, nam pleni sunt nequitiae magnamque eis voluptatem praebet nos vexare."

"Nonne mihi nocebunt?" rogavit puella anxie.

"Non certe nocebunt; parendum est ei qui Petasum gerit. Vale!" Et e conspectu cucurrit, omnibus muribus festinanter sequentibus.

Dorothea in Petasum Aureum spectavit et verba aliquot intra inscripta conspexit. Quae sine dubio potentiae esse carmen rata est, itaque diligenter praecepta legit et Petasum in capite sibi posuit.

"Ep-pe, pep-pe, kak-ke!" dixit, in pede sinistro stans.

"Quid dixisti?" rogavit Terriculus, qui nesciebat quid faceret.

"Hil-lo, hol-lo, hel-lo!" perrexit Dorothea, nunc in pede dextro stans.

"Hello!" placide respondit Lignator Stanneus.



"Simii Dorotheam bracchiis sustulerunt et cum ea avolaverunt."



"Ziz-zy, zuz-zy, zik!" dixit Dorothea, quae nunc in pedibus stabat ambobus. Carmine ita finito, magnum garritum alarumque plausum audiverunt, dum manus Simiorum Alatorum advolat. Rex caput demisse ad Dorotheam inclinavit, et rogavit,

"Quae sunt tua iussa?"

"Ire ad Urbem Smaragdorum volumus," puella dixit, "et a via aberravimus."

"Vos portabimus," Rex rettulit, et simul atque locutus est duo ex Simiis Dorotheam bracchiis sustulerunt et cum ea avolaverunt. Alii Terriculum et Lignatorem et Leonem susceperunt, et quidam Simius parvus Totonem arripuit et volans eos secutus est, quamvis eum mordere contenderet canis.

Terriculus et Lignator Stanneus primo aliquantum terrebantur, nam memoria tenebant quam improbe Simii Alati se antea tractavissent; sed animadvertentes nullum damnum intentum esse, per aëra admodum hilares vecti sunt, et spectaculo hortorum et silvarum amoenarum longe sibi subiacentium magnopere fructi sunt.

Dorotheae contigit ut inter duos ex Simiis maximis molliter veheretur, quorum unus erat Rex ipse. Sellam manibus suis fecerant et cavebant ne eam laederent.

"Cur potentiae Petasi Aurei vobis parendum est?" rogavit.

"Longum est dicere," Rex ridens respondit; "sed cum iter nobis longum faciendum sit narrando tempus consumam, si tibi placet."

"Gaudebo audiens," respondit.

"Olim," dux incepit, "populus eramus liber, laete in silva magna habitantes, volantes ex arbore in arborem, nucibus pomisque vescentes, nullo domino quomodo cuique placebat nos gerentes. Forsitan non nulli nostrum interdum nimis erant lascivi, devolantes ut caudas animalium quibus alae deerant vellerent, aves persequentes, homines qui in silva ambulabant nucibus petentes. Sed securi eramus et laeti et iocosi, et omni momento temporis fructi sumus. Sic res multos abhinc annos se habebant, longe antequam Oz ex nubibus devenit ut in hac terra regnaret.

"Eo tempore Septentrionem, procul hinc, incolebat princeps femina pulchra, quae et saga erat potens. Omni arte magica sua ad homines iuvandos utebatur, neque umquam dicebatur cuiquam bono nocuisse. Cui nomen erat Gayeletta, et in regia speciosa ex massis magnis carbunculi facta habitabat. Omnes eam amabant, sed maxime dolebat quia neminem quem vicissim amaret reperire poterat, quippe cum omnes viri multo essent stultiores et turpiores quam ut cum femina tam pulchra et sapiente coniungerentur. Postremo autem puerum repperit qui formosus erat et virilis et supra annos sapiens. Cui Gayeletta cum adolevisset nubere constituit, itaque in regiam carbunculosam induxit et omni potentia magica sua usa est ut tam fortis et bonus et amabilis fieret quam cuivis feminae ex sententia esset. Cum adolevisset, Quelala, ut vocabatur, optimus et sapien-

tissimus in tota terra esse dicebatur, venustas vero virilis tanta erat ut Gayeletta eum ex animo amaret, et omnia ad nuptias parare properaret.

"Id temporis avus meus Rex erat Simiorum Alatorum qui in silva regiae propinqua Gayelettae habitabant, et vetulo illi iocus magis cordi quam bona cena fuit. Die quodam, sub tempus nuptiarum, avus meus cum manu sua circumvolabat cum Quelalam iuxta flumen ambulantem vidit. Vestitus erat vestibus opulentis ex serico roseo et velveto purpureo confectis, et avo meo in mentem venit experiri quid facere posset. Iussu eius manus devolavit, Quelalam corripuit, bracchiis super fluvium asportavit medium, deinde in aquam demiserunt.



"'Ena in terram, o belle iuvenis,' clamitavit avus meus, 'et aspice num aqua vestes tibi maculis notaverit.' Quelala multo erat sapientior quam ut natare recusaret, et ne minimum quidem e bona fortuna sua delicatus. Ex aqua emersus risit, et ad ripam natavit. At Gayeletta ad eum excurrens serica illa et velveta flumine omnino corrupta repperit.

"Femina iratissima erat, et auctores pro certo noverat. Simios Alatos ad se arcessivit omnes, et primo edixit ut alis alligatis eodem modo quo Quelalam tractavissent tractarentur et ipsi, et in flumen demitterentur. Avus meus autem enixe eam obsecravit, nam sciebat fore ut Simii alis ligatis in flumine aqua summergerentur, et Quelala quoque ver-



bum benignum pro eis dixit; itaque Gayeletta postremo eis pepercit, ea autem conditione ut Simii Alati semper in futurum ter iussis possessoris Petasi Aurei pararent. Hic Petasus Quelalae donum nuptiale futurus erat, et dimidio regni feminae constitisse dicebatur. Videlicet avus meus et ceteri Simii omnes statim huic conditioni consenserunt, atque ita accidit ut ter servi simus possessoris Petasi Aurei, quicumque ille sit."

"Et quid evasit?" rogavit Dorothea, quae fabulae maximam operam dederat.

"Quelala, utpote qui primus Petasum Aureum possideret," respondit Simius, "primus imperata nobis imposuit. Cum sponsa aspectum nostrum ferre nequiret, nuptiis peractis nos omnes ad se in silvam arcessit et semper ibi manere iussit ubi illa numquam iterum Simium Alatum conspicere posset, quod laeti persecuti sumus, illam enim timebamus omnes.


"Hoc solum nobis faciendum erat antequam Petasus Aureus in manus Magae Malae Occidentis cecidit, quae nos coegit Winkies in servitudinem redigere, et postea Oz ipsum ex Terra Occidentis expellere. Nunc Petasus Aureus tibi est proprius, et ter imperata nobis imponere iure poteris."

Ut Rex Simiorum narrationem finivit Dorothea despexit et moenia viridia splendida Urbis Smaragdorum prae se conspicata est. Volatum rapidum Simiorum mirata est, sed gaudebat iter perfectum esse. Bestiae mirae viatores diligenter ante por-


tam Urbis deposuerunt, Rex caput demisse ad Dorotheam inclinavit, deinde celeriter avolavit, manu tota sequente.

"Optime vecti sumus," dixit puellula.


"Optime quidem, et sic festinanter ex aerumnis evasimus nostris," respondit Leo. "Quam commode accidit quod Petasum illum mirabilem asportasti!"



Capitulum XV.
Patefactio OZ. Terribilis.







TUM QUATTUOR VIATORES ad portam magnam Urbis Smaragdorum accesserunt et tintinnabulum pulsaverunt. Quod cum aliquotiens pulsavissent porta ab eodem Vigile Portarum quem antea offenderant aperta est.


"Quid! Rediistis?" attonitus rogavit.

"Nonne nos vides?" respondit Terriculus.

"At putavi vos profectos esse ad Magam Malam Occidentis visitandam."

"Visitavimus quidem," dixit Terriculus.

"Et vos dimisit?" mirans vir rogavit.



"Prohibere non potuit, nam liquefacta est," explanavit Terriculus.

"Liquefacta! Agedum, bonum quidem nuntium nobis affertis," vir dixit. "Quis eam liquefecit?"

"Liquefecit Dorothea," graviter dixit Leo.

"Vix credere possum!" vir exclamavit, et caput valde quidem demisse ad eam inclinavit.

Deinde eos in conclave suum parvum conduxit et perspicilla ex arca magna sumpta in oculos eis obseravit omnibus, eodem modo quo antea. Postea per portam in Urbem Smaragdorum transiverunt, et cum populus a Vigile Portarum audivisset eos Magam Malam Occidentis liquefecisse omnes circum viatores congregati frequentissimi eos ad Regiam Oz deduxerunt.

Miles barba viridi adhuc ante ianuam in statione erat, statim autem eos immisit et iterum virgo pulchra viridis eis obviam venit, quae quemque statim ad conclave pristinum duxit, ut requiescere possent dum Oz Magnus ad eos recipiendos paratus esset.

Miles confestim Oz certiorem faciendum curavit Dorotheam viatoresque ceteros, Maga Mala deleta, revenisse; at Oz nullum responsum reddidit. Rebantur Magum Magnum se extemplo arcessurum esse, at non arcessivit. Nihil ab eo altero die audiverunt, neque proximo, neque proximo. Mora molesta erat atque taediosa, et tandem aegre tulerunt Oz se, quos in an-

gustias et servitudinem miserat, tam misere habere. Itaque postremo Terriculus virginem viridem rogavit ut nuntium alium ad Oz ferret, se Simios Alatos, nisi statim se admitteret, ad se iuvandos arcessuros esse, ut reperirent utrum ille promissa sua absolveret necne. Quo nuntio tradito Magus tam territus est ut eos postero die mane quattuor punctis post nonam ad Aulam venire iuberet. Olim in Terra Occidentis Simiis Alatis occurrerat, et nolebat eis iterum occurrere.

Quattuor viatores noctem insomnem egerunt, cum quisque de dono sibi ab Oz promisso cogitaret. Dorothea semel modo obdormivit, quo tempore somniavit sese esse in Kansa, ubi Amita Em sibi diceret quam laeta esset puellulam suam iterum domi habere.

Postero die mane hora nona ad tempus miles barba viridi ad eos venit, et quattuor postea momentis temporis omnes Aulam Oz Magni intraverunt.

Necessario unus quisque exspectabat ut Magum sub ea forma videret quam ante sumpserat, et omnes magnopere attoniti erant cum circumspicientes neminem omnino in thalamo viderent. Prope ianuam manserunt propiusque alius alii, nam silentium in thalamo vacuo horribilius erat quam ulla forma sub qua antea Oz viderant.

Mox Vocem audiverunt quae descendere videbatur alicunde prope cacumen camerae magnae, et severe dixit,



"Ego sum Oz, Magnus et Terribilis. Cur me petitis?"

Denuo ubique in thalamo circumspexerunt, et tum, nemine viso, Dorothea rogavit,

"Ubi es?"

"Ubique sum," respondit Vox, "sed oculis mortalium vulgarium non possum cerni. Nunc me in solio meo collocabo, ut mecum colloqui possitis." Revera, illo momento Vox recta a solio ipso venire visa est; ergo illuc processerunt et per ordinem steterunt, Dorothea autem dixit:

"Venimus ut promissa nobis vindicemus, O Oz."

"Quae promissa?" rogavit Oz.

"Promisisti me Maga Mala deleta ad Kansam remittere," dixit puella.

"Et mihi promisisti cerebrum dare," dixit Terriculus.

"Et mihi promisisti cor dare," dixit Lignator Stanneus.

"Et mihi promisisti virtutem dare," dixit Leo Ignavus.

"Estne revera deleta Maga Mala?" rogavit Vox, et Dorothea putavit eam paululum tremere.

"Sic est," respondit, "situla aquae plena eam liquefeci."

"Vah," dixit Vox; "quam subito! Hem, cras ad me venite, nam antea tempore ad deliberandum egeo."

"Iam satis temporis habuisti," iracunde dixit Lignator Stanneus.

"Nequaquam diutius exspectabimus," dixit Terriculus.

"Quae nobis promisisti absolvere debes!" exclamavit Dorothea.

Leo Magum territare opportunum fore statuit, itaque rugitum edidit magnum et sonorum, qui tam saevus et terribilis erat ut Toto consternatus procul ab eo saliret et parietem mobilem qui in angulo stabat inverteret. Ut cum strepitu cecidit illuc aspexerunt, et proximo momento omnes admiratione impleti sunt. Nam stantem in ipso loco quem modo paries occultaverat, parvum senem conspexerunt, capite glabro et facie rugosa, qui tam attonitus quam ipsi esse videbatur. Lignator Stanneus, securi sublata, ad homunculum ruit exclamavitque,

"Quis es tu?"


"Ego sum Oz, Magnus et Terribilis," voce tremula dixit homunculus, "sed noli me ferire—noli sodes me ferire!—et quidvis cupitis faciam."

Amici nostri mirabundi atque perturbati eum aspexerunt.

"Putabam Oz esse Caput magnum," dixit Dorothea.

"Et ego putabam Oz esse Mulierem amabilem," dixit Terriculus.

"Et ego putabam Oz esse Bestiam horribilem," dixit Lignator Stanneus.



"Et ego putabam Oz esse Globum Igneum," exclamavit Leo.

"Minime vero; erratis omnes," humiliter dixit homunculus. "Simulabam."

"Simulabas!" exclamavit Dorothea. "Nonne Magus magnus es?"

"Tace, cara mea," dixit; "vocem summitte, ne quis subauscultet—et ego pessum eam. Magum magnum me esse putant."

"Et nonne es magus?" quaesivit.

"Minime, cara mea; non sum nisi homo vulgaris."

"Immo et aliud quid," dixit Terriculus voce dolore affecta; "fraudulentus es."

"Sic est!" confirmavit homunculus, manus inter se velut delectatus fricans; "fraudulentus sum."

"Ecce calamitatem," dixit Lignator Stanneus; "quomodo umquam cor meum accepturus sum?"

"Aut ego virtutem meam?" quaesivit Leo.


"Aut ego cerebrum meum?" lamentatus est Terriculus, manica tunicae lacrimas ab oculis abstergens.

"Amici mei," dixit Oz, "oro vos ne has nugas memoretis. De me cogitate, et de dira calamitate quae me secreto meo patefacto oppressit."

"Nonne scit quisquam alius te fraudulentum esse?" quaesivit Dorothea.



"Sic est! Fraudulentus sum."



"Scit nemo nisi vos quattuor—atque ego," respondit Oz. "Tam diu omnibus verba dedi ut putarem numquam fore ut veritas patefieret. Multum erravi vos in Aulam admittens. Plerumque ne subiectos quidem meos videre volo, itaque credunt me monstrum esse aliquod."

"Sed non intellego," conturbata dixit Dorothea. "Quomodo accidit ut mihi sub forma Capitis magni appareres?"

"Machina erat quaedam mea," respondit Oz. "Huc sodes progredimini, et vobis omnia demonstrabo."

Ad conclave parvum pone Aulam situm praeivit, sequentibus omnibus. Angulum monstravit, ubi iacebat Caput Magnum, e charta factum crebro plicata, et facie diligenter picta.

"Hoc filo ferreo de camera suspendi," dixit Oz; "post parietem stabam et lineam vellebam, ut efficerem ut oculi moverentur et os aperiretur."

"At quae erat vox illa?" quaesivit.

"Agedum, ventriloquus sum," dixit homunculus, "et sonum vocis meae ubivis emittere possum; itaque eum ex Capite oriri putabas. Hic sunt cetera quibus ad vos decipiendos usus sum." Terriculo ostendit pallam personamque quas gesserat cum Mulier amabilis esse videbatur; et Lignator Stanneus vidit Bestiam horribilem nil esse nisi pelles multas consutas, regulis insertis ut latera panderentur. Quod ad Globum Igneum attinet, illum quoque de camera suspenderat Magus simula-

tus. Revera globus erat gossypii, at oleo infuso globus acriter ardebat.

"Profecto," dixit Terriculus, "te pudere oportet tam fraudulentum esse."

"Me pudet—certe me pudet," maeste respondit homunculus; "sed aliter agere non potui. Considite, quaeso, sellis abundamus, et historiam meam vobis narrabo."

Itaque considerunt eumque narrationem quae sequitur referentem audiverunt:

"Natus sum in Omaha—"

"En, non longe a Kansa distat!" exclamavit Dorothea.

"Ita est; sed longius distat hinc," adversus eam tristis caput quatiens dixit. "Adultus ventriloquus factus sum, qua arte a peritissimo optime doctus sum. Bestias alitesque omne genus imitari queo." Hic tam similiter catulo felis sonavit ut Toto aures erigeret atque ubique ad eum inveniendum circumspiceret. "Deinceps," perrexit Oz, "huius negotii taedio affectus, gubernator factus sum follis aërii."

"Qualis is est?" rogavit Dorothea.

"Qui die circensi in folle aërio ascendit, ut turbam hominum attrahat et efficiat ut pecuniam spectandi circi gratia numerent," explanavit.

"Oh," dixit; "intellego."

"Agedum, die quodam in folle aërio ascendi et retinacula se




intorserunt, ita ut rursus descendere non possem. Follis procul supra nubes ascendit, tam procul ut flatu aurae exceptus plurima milia passuum auferretur. Diem noctemque per aërem vectus sum, et die altero mane experrectus follem super terram miram pulchramque volitare animadverti.

"Gradatim descendit, neque mihi minime nocitum est. Sed in mediis hominibus miris me esse repperi, qui, me de nubibus descendere videntes, me Magum magnum esse rati sunt. Nimirum eos ita reri passus sum, quod me timebant, et promiserunt se quicquid optarem facturos esse.

"Nulla alia ex causa nisi ut me oblectarem, et ut boni homines occuparentur, imperavi ut hanc Urbem aedificarent, et regiam meam; et omnia libenter et bene perfecerunt. Deinde, propterea quod terra viridis erat et pulchra, nomen Urbis Smaragdorum excogitavi, et quo nomen aptius esset omnibus perspicilla viridia imposui, ita ut omnia quae videbant viridia essent."

"At nonne viridia sunt hic omnia?" quaesivit Dorothea.



"Non viridiora quam in ulla alia urbe," respondit Oz; "sed cum perspicilla viridia geras, nimirum omnia quae vides viridia tibi videntur. Urbs Smaragdorum permultis ante annis constructa est, nam iuvenis eram cum follis aërius me huc attulit, et nunc valde sum senex. Homines autem mei tam diu oculis perspicilla viridia gesserunt ut plurimi eorum eam reapse Urbem esse Smaragdorum putent, et certe locus est pulcher, gemmis abundans et metallis pretiosis, et bonis omnibus quorum ad vitam beatam opus est. Benignus eis fui, et me amant; sed semper ex quo tempore haec Regia constructa est me seclusi neque quemquam eorum videre volui.

"Inter ea quae maxime timebam erant Magae, nam quamquam mihi quidem potentia erat magica nulla mox rescivi Magas revera mirabilia facere posse. Erant quattuor in hac terra, et in hominibus qui in Septentrione et in Meridie et in Oriente et in Occidente habitant dominabantur. Feliciter accidit ut Magae Septentrionis et Meridiei bonae essent, et sciebam eas nullum mihi damnum illaturas esse; sed Magae Orientis et Occidentis sceleratissimae erant, et si non aestimavissent me potentiorem esse quam sese, sine dubio me delevissent. Multos utique annos in metu earum vivebam; itaque mente concipere potes quantum gavisus sim cognoscens casam tuam in Magam Malam Orientis cecidisse. Cum ad me venires paratus eram quidvis promittere dum modo alteram Magam deleres; nunc

autem illa a te liquefacta, pudet me dicere me quae promisi absolvere nequire."

"Opinor te virum esse pessimum," dixit Dorothea.

"Minime quidem, cara mea; revera vir sum optimus; confitendum autem mihi est me Magum esse pessimum."

"Nonne potes cerebrum mihi dare?" rogavit Terriculus.

"Non indiges. In dies aliquid addiscis. Infans cerebrum habet, sed non multum scit. Usus res est sola quae prudentiam affert, et certe quo diutius in terris es eo amplius tibi usus veniet."

"Licet sint vera omnia quae dicis," dixit Terriculus, "sed nisi cerebrum mihi dabis ero miserrimus."


Magus simulatus diligenter eum inspexit.

"Agedum," dixit suspirans, "qua magus, ut dixi, non multum valeo; sed si cras ad me venies, cerebro caput tibi farciam. Non possum autem tibi demonstrare quomodo eo utaris; id tibi ipsi reperiendum erit."

"O tibi gratias ago maximas!" exclamavit Terriculus. "Quomodo uter reperiam, noli laborare!"

"Sed quid de virtute mea?" anxius rogavit Leo.

"Virtute te abundare pro certo habeo," respondit Oz. "Confi-



dentia solum tibi deest. Nullum exstat animans quod non coram periculo timeat. Vera est virtus periculo timentem occurrere, et tali virtute abundas."

"Forsitan abundem, sed nihilominus timeo," dixit Leo. "Revera miserrimus ero nisi talem mihi dabis virtutem quae efficiat ut timoris sis immemor."

"Ita sit; cras talem virtutem tibi dabo," respondit Oz.

"Quid de corde meo fiet?" rogavit Lignator Stanneus.


"Hem, in eo," respondit Oz, "opinor te errare quod cor desideras. Plerosque maestos reddit. Non percipis, sed felix corde carens es."

"Hac de re disputari potest," dixit Lignator Stanneus. "Pro mea parte, ego sine querela miserias feram omnes, si cor mihi dabis."

"Ita sit," humiliter respondit Oz. "Cras ad me veni et cor tibi erit. Tam multos annos Magum simulavi ut mihi personam eam agere aliquanto diutius liceat."


"Et nunc," dixit Dorothea, "quomodo ad Kansam reditura sum?"

"Deliberare nobis necesse erit," respondit homunculus. "Da mihi dies duos vel tres ad rem considerandam et modum te super solitudinem transportandi reperire conabor. Interim vos omnes ut hospites habebo, et quamdiu Regiam habitabitis mei



vobis ministrabunt et omni modo parebunt. Unum solum pro auxilio meo—qualecumque est—vos rogo. Secreta mea servare oportet neque quemquam certiorem facere me esse fraudulentum."

Consenserunt nihil de eis quae didicerant divulgare, et bono animo ad cubicula sua reversi sunt. Etiam Dorothea spem habuit "Fraudulentum Magnum et Terribilem," ut eum nominabat, modum reperturum esse se ad Kansam remittendi, et illud efficienti omnia condonare parata erat.



Capitulum XVI.
Ars Magica Fraudulenti Magni.





NUNC EO AD OZ UT tandem cerebrum accipiam; gratulamini mihi," postero die mane Terriculus amicis dixit. "Reversus talis ero quales ceteri."

"Semper te ut es dilexi," simpliciter dixit Dorothea.

"Benigne quidem facis quod Terriculum diligis," respondit. "Sed profecto pluris me aestimabis auditis sententiis splendidis quas generabit cerebrum meum novum." Deinde omnibus hilari voce valedixit et ad Aulam processit, ubi forem pulsavit.

"Intra," dixit Oz.

Terriculus intravit et homunculum iuxta fenestram sedentem et alte cogitantem invenit.

"Adsum ad cerebrum meum accipiendum," aliquantulum anxius dixit Terriculus.

"Scio; conside sodes in illa sella," respondit Oz. "Ignosces mihi si caput tibi adimam, sed ita facere necesse erit ut cerebrum in locum proprium inserere possim."

"Bene est," dixit Terriculus. "Nihil obstat quominus caput mihi adimas, dummodo melius repositum futurum sit."

Itaque Magus caput ei refixit et stramen exemit. Inde conclave posticum intravit et aliquantum furfuris sumpsit, quod cum fibulis acibusque plurimis permiscuit. Quibus diligenter agitatis, permixtione summum caput Terriculi implevit et spatium reliquum stramine stipavit, ut firmiter retineretur. Cum caput Terriculi ad corpus iterum affixisset ei dixit,

"Posthac plenus eris furore sapientiae, nam cerebrum tibi furfureum dedi."

Terriculum et iuvavit desiderium maximum expletum et superbia affecit, et gratiis Oz ferventer actis ad amicos redivit.

Dorothea eum curiose intuita est. Cerebro caput eius summum admodum tumebat.

"Quomodo te habes?" quaesivit.

"Sapientem vere me esse sentio," graviter respondit. "Cum cerebro meo assuefactus ero sciam omnia."

"Cur e capite eminent acus illae fibulaeque?" rogavit Lignator Stanneus.

"Argumentum est eum acutum esse," dixit Leo.

"En, mihi ad Oz eundum est ut cor obtineam," dixit Lignator. Itaque ad Aulam processit et forem pulsavit.

"Intra," vocavit Oz, et Lignator intravit et dixit,

"Cor meum peto."

"Optime," respondit homunculus. "Sed pectus tibi perforandum erit, ut cor in locum suum inserere possim. Spero me dolorem tibi non facturum esse."

"Minime vero," respondit Lignator. "Nil omnino sentiam."


Itaque Oz forfice allata foramen parvum quadratum in pectore Lignatoris Stannei sinistro incidit. Inde ad armarium ivit et cor lepidum sericum scobe stipatum exemit.


"Nonne est pulchrum?" rogavit.

"Profecto hercle!" respondit Lignator, qui multum oblectabatur. "Sed estne cor benevolum?"

"Immo benevolentissimum!" respondit Oz. Cor in pectus Lignatoris inseruit, tum quadratum stanneum in locum unde excisum erat repositum concinne conferruminavit.

"Ecce," dixit; "nunc cor habes de quo quivis glorietur. Me paenitet quod necesse erat pectus tibi resarcire, sed revera aliter facere non potui."





"Ne tibi aegre sit," laetus exclamavit Lignator. "Gratiam tibi habeo maximam, neque umquam benevolentiae tuae immemor ero."

"Noli mentionem facere," respondit Oz.

Inde Lignator Stanneus ad amicos redivit, qui ei de bona fortuna vehementer gratulati sunt.

Nunc Leo ad Aulam processit et forem pulsavit.

"Intra," dixit Oz.

"Virtutem meam peto," praedicavit Leo, aulam intrans.

"Optime," respondit homunculus; "eam tibi afferam."


Ad armarium ivit et manu ad pluteum altum extensa urnam viridem quadratam deprompsit, quodque continebat in pateram galbinam pulchre caelatam profudit. Qua ante Leonem Ignavum deposita, qui velut offensus odoraretur, Magus dixit, "Bibe."



"Quid est?" rogavit Leo.

"Agedum," Oz respondit, "si in te esset, virtus esset. Nempe scis virtutem semper intus esse; itaque hoc priusquam exhauseris non poterit revera virtus vocari. Quare tibi suadeo ut quam primum bibas."





"'Sapientem vere me esse sentio,' dixit Terriculus."



Non diutius Leo haesitavit, sed bibit donec pateram exhausit.

"Quomodo nunc te habes?" rogavit Oz.

"Virtute repletum," respondit Leo, qui laetus ad amicos redivit ut eos de sua bona fortuna certiores faceret.

Solus relictus, Oz surrisit in animo versans sibi successisse Terriculo et Lignatori Stanneo et Leoni id ipsum praebenti quod se cupere putarent. "Quomodo facere possum quin fraudulentus sim," dixit, "his omnibus me cogentibus res facere quas quisque scit fieri nequire? Facile erat efficere ut Terriculus et Leo et Lignator laeti essent, nam mente concipiebant me quidvis posse efficere. Sed mentis concepta non sufficient ad Dorotheam ad Kansam reportandam, et pro certo habeo me nescire quomodo fieri possit."

Capitulum XVII.
Quomodo Follis Aërius Deductus Sit.







Frustra PER DIES TRES Dorothea exspectavit ut nuntius sibi ab Oz veniret. Puellulae dies erant maesti, quamquam amici erant satis laeti et contenti. Terriculus eis dixit notiones sibi miras in capite esse; sed noluit patefacere quales essent quod sciebat neminem eas se excepto intellegere posse. Cum Lignator Stanneus spatiaretur cor sibi in pectore crepare sensit; et Dorotheae dixit se repperisse id esse benevolentius teneriusque quam illud quod sibi carneo fuisset. Leo asseruit se nihil in terris timere,

atque libenter exercitui virorum occursurum esse aut ferocibus Kalidis duodecim.

Sic contenti erant omnes e caterva parva praeter Dorotheam, quae semper plus ad Kansam redire avebat.

Die quarto Oz eam magnopere gaudentem arcessivit, et cum Aulam intravisset comiter dixit:

"Conside, cara mea; reor me modum repperisse quo possim te ex hac terra educere."

"Et ad Kansam remittere?" avide rogavit.

"Hem, de Kansa non pro certo habeo," dixit Oz; "nam ne minimam quidem notionem habeo in qua parte lateat. Primum autem factu solitudinem est transire, quo facto facile esse debet viam quae te domum ducat reperire."

"Quomodo solitudinem transire possum?" quaesivit.

"Hem, dicam tibi quae mihi in mentem venerunt," dixit homunculus. "Ut scis, ad hanc terram folle aërio perveni. Tu quoque per aërem venisti, turbine sublata. Itaque credo modum optimum solitudinis transeundae per aërem futurum esse. Turbinem quidem excitare omnino ultra potentiam meam est; rem autem reputavi, et reor me follem aërium creare posse."

"Quomodo?" rogavit Dorothea.

"Follis aërius," dixit Oz, "e serico constat, quod glutine linitur ut gasum intus retineatur. Serici mihi in Regia abundantia est, itaque non erit difficile nobis follem aërium creare. Sed

in hac terra tota non est gasum quo follem inflemus, ut volitare possit."

"Nisi volitabit," inquit Dorothea, "usui nobis non erit."

"Verum est," respondit Oz. "Est autem alius modus efficiendi ut volitet, id est eum vapore implendo. Vapor non tantum valet quantum gasum, nam si vapor refrigeretur follis in solitudinem descendat, et perditi simus."


"Simus!" exclamavit puella; "me comitaberis?"

"Certe te comitabor," respondit Oz. "Tam fraudulentum esse me taedet. Si ex hac Regia exeam mei mox cognoscant me non esse Magum, et tum aegre ferant quod eos decepi. Itaque mihi in his conclavibus incluso semper manendum est, quod fit molestum. Multo malim tecum ad Kansam redire et iterum circo operam meam locare."

"Gaudio mihi erit te comitem habere," dixit Dorothea.

"Gratias tibi ago," respondit. "Nunc si me in sericis consuendis adiuvabis, folli nostro aërio operari incipiemus."

Itaque Dorothea acum et filum sumpsit, et ut Oz lacinias sericas in formam idoneam dissecuit puella continuo concinne consuit. Primo erat lacinia serica subviridis, deinde lacinia acriter viridis et tum lacinia smarag





dina; libebat enim Oz follem aërium sic construere ut praeberet diversos gradus coloris undique eis circumfusi. Tribus diebus opus erat ad omnes lacinias consuendas, opere autem perfecto follem habebant magnum e serico viridi factum et plus pedes viginti longum.

Deinde Oz tegimentum glutinis tenuis intus induxit, ne follis aëri pervius esset, quo facto nuntiavit follem aërium paratum esse.

"Sed corbe indigemus qua vehi possimus," dixit. Quare militem barba viridi misit ut corbem vestiariam magnam reportaret, quam multis funibus ad imum follem aërium alligavit.

Omnibus paratis, Oz suos certiores fecit se fratrem Magum magnum in nubibus viventem invisurum esse. Rumor rapide per urbem volavit et omnes ad spectaculum mirum videndum convenerunt.

Oz follem aërium ante Regiam efferri iussit, quem vulgus curiosissime intuebatur. Lignator Stanneus acervum magnum lignorum conciderat, quem nunc incendit, atque Oz fundum follis super ignem posuit ut vapor qui inde ascendebat folle serico exciperetur. Paulatim follis aërius tumebat et in aërem ascendebat, donec ad extremum corbis terram vix contigit.

Deinde Oz corbem conscendit et magna voce omnibus dixit:

"Abeo nunc visitandi causa. Quam diu abero Terriculus vobis praeerit. Impero vobis ut ei tamquam mihi pareatis."

Iam follis aërius funi quo terrae affixus erat obluctabatur,

nam aër intus fervidus erat, quod effecit ut tanto levior esset pondere quam aër exterior ut in caelum ascendere enixe luctaretur.

"Veni, Dorothea!" clamavit Magus; "festina, aliter follis aërius avolabit."

"Non possum Totonem usquam reperire," respondit Dorothea, quae nolebat canem parvum derelinquere. Toto in turbam invaserat ut felis catulum latraret, et denique Dorothea eum repperit. Quo sublato ad follem aërium cucurrit.



Paucos passus aberat, et Oz ut eam ad corbem conscendendam adiuvaret manus tendebat, cum funes magno cum crepitu rupti sunt et follis sine ea in aërem ascendit.



"Reveni!" ululavit illa; "ego quoque ire volo!"

"Revenire non possum, cara mea," clamavit e corbe Oz. "Valete!"

"Vale!" clamaverunt


omnes, et oculi omnium sursum versi sunt ubi Magus corbe vehebatur, semper longius in caelum ascendens.

Et illud ultimum quispiam eorum umquam Oz, Magum Mirabilem, vidit, quamquam fieri potest ut incolumis ad Omaham pervenerit et, quatenus cognovimus, etiam nunc ibi sit. Homines autem eum memoria amanti tenebant, et inter se dicebant,

"Oz semper amicus erat noster. Praesens nobis hanc aedificavit Urbem Smaragdorum pulchram, et discedens reliquit nobis Terriculum Sapientem ad nos regendos."

Nihilominus, multos dies iacturam Magi Mirabilis lugebant, nec consolari volebant.

Capitulum XVIII.
Iter ad Meridiem.





Dorothea spe reditus domum ad Kansam amissa acerbe lacrimavit; sed rem secum reputans aequo animo ferebat se non in folle aërio ascendisse. Necnon iacturam Oz dolebat, ita ut dolebant et comites.

Lignator Stanneus ad eam venit et dixit,

"Vere ingratus essem nisi virum lugerem qui cor mihi amabile dedit. Velim paulum lacrimare propterea quod Oz abivit, si lacrimas mihi benigne abstergebis, ne robigine obducar."

"Libenter," respondit, et statim mantelium attulit. Tum Lignator Stanneus ali-



quantum flevit, et illa diligenter lacrimas observavit et mantelio abstersit. Finitis lacrimis gratias ei multas egit et ex urceo suo gemmato oleo se perlinivit, ut ab infortunio sibi caveret.

Terriculus nunc in Urbe Smaragdorum regnabat, et quamquam Magus non erat populus in eo gloriabatur. "Nam," dicebant, "non est alia terra in toto mundo quae ab homine regitur stipato." Et, quatenus cognoverant, admodum recte dicebant.

Postridie eius diei quo follis aërius cum Oz ascenderat viatores quattuor mane in Aula convenerunt et consilia contulerunt. Terriculus in solio magno sedebat et ceteri reverenter ante eum stabant.

"Fortuna non tam adversa usi sumus," dixit rex novus; "nam haec Regia et Urbs Smaragdorum nobis est, et facere licet quidvis placet. Recordans me paulo ante in conto editum in agro agricolae fuisse, et nunc in hac Urbe pulchra regnare, sorte mea omnino contentus sum."

"Mihi quoque," dixit Lignator Stanneus, "cor novum bene placet; et vero, nihil aliud in toto mundo cupiebam."

"Pro mea parte, sciens me tam fortem esse quam ulla bestia quae umquam vixit, si non fortior, satis habeo," modeste dixit Leo.

"Si modo Dorothea in Urbe Smaragdorum vivere consentiret," perrexit Terriculus, "simul una laeti esse possemus omnes."



"Terriculus in solio magno sedebat."



"Nolo autem hic vivere," exclamavit Dorothea. "Volo ad Kansam ire, et apud Amitam Em et Patruum Henericum vivere."

"Hem, quid igitur faciendum est?" quaesivit Lignator.

Terriculus cogitare statuit, et tam acriter cogitavit ut fibulae acusque e cerebro eminere inciperent. Denique dixit:

"Cur non Simios Alatos arcessis, et te trans solitudinem transportare iubes?"

"Id mihi numquam in mentem venit!" laete dixit Dorothea. "Hoc potissimum opus erat. Statim Petasum Aureum afferam."

Quem cum in Aulam attulisset verba magica edidit, et mox manus Simiorum Alatorum per fenestram apertam involavit et iuxta eam constitit.


"Iam bis nos arcessivisti," Rex dixit Simiorum, caput ante puellulam inclinans. "Quid optas?"

"Volo vos mecum ad Kansam volare," dixit Dorothea.

Rex Simiorum abnuit.

"Fieri non potest," dixit. "Huius modo terrae sumus, quam relinquere non possumus. Nondum in Kansa exstitit Simius Alatus, neque, ut reor, umquam exsistet, nam eos illic esse non convenit. Libenter tibi utcumque poterimus serviemus, sed solitudinem transire non possumus. Vale."

Et capite iterum inclinato Rex Simiorum alas pandit et per fenestram, manu tota sequente, avolavit.



Dorothea spe deiecta paene iam in eo erat ut lacrimaret.

"Potentiam Petasi Aurei in cassum profudi," dixit, "nam Simii Alati mihi prodesse non valent."

"Certe nimium est triste!" Lignator mollis dixit.

Terriculus iterum cogitabat, et caput tam foede tumebat ut Dorothea metueret ne dirumperetur.

"Arcessamus militem barba viridi," dixit, "et consilia eius petamus."

Itaque miles arcessitus est et timide Aulam intravit, nam Oz vivente numquam ei ultra ianuam progredi licebat.

"Haec puellula," Terriculus militi dixit, "solitudinem transire cupit. Quomodo potest?"

"Non possum dicere," respondit miles; "nam nemo umquam solitudinem transivit, nisi Oz ipse."

"Nonne ullus est qui iuvare me possit?" intente rogavit Dorothea.

"Glinda fortasse," subiecit ille.

"Quis est Glinda?" quaesivit Terriculus.

"Maga est Meridiei. Omnium Magarum potentissima est, et Quadlingos regit. Praeterea, regia eius iuxta solitudinem sita est, itaque fieri potest ut sciat quomodo transiri possit."

"Glinda Maga est bona, nonne?" rogavit puella.

"Quadlingi opinantur bonam eam esse," dixit miles, "et omnibus est benigna. Audivi Glindam feminam esse pulchram, quae non obstantibus tot annis quos complevit iuvenis manere sciat."

"Quomodo possum ad regiam eius pervenire?" rogavit Dorothea.

"Recta est via ad Meridiem," respondit, "sed viatoribus plenam esse dicitur periculis. In silvis bestiae sunt ferae, et genus hominum insuetorum qui peregrinos fines suos transgredientes moleste ferunt. Quamobrem nemo ex Quadlingis umquam ad Urbem Smaragdorum venit."

Tum miles abiit et Terriculus dixit,

"Optimum videtur, sint licet pericula, Dorotheam ad Terram Meridiei iter facere et a Glinda auxilium petere. Nam, scilicet, si Dorothea hic remanebit numquam ad Kansam reversura est."

"Non potest fieri quin denuo cogitaveris," dixit Lignator Stanneus.

"Sic est," ait Terriculus.

"Dorotheam comitabor," Leo professus est, "urbis enim vestrae me taedet et silvas et rura denuo desidero. Revera bestia sum fera, ut scitis. Praeterea, Dorothea alicuius indigebit qui eam defendat."

"Verum est," Lignator assensus est. "Securis mea possit ei

prodesse; ergo ego quoque eam ad Terram Meridiei comitabor."


"Quando proficiscemur?" rogavit Terriculus.

"Tu nos comitaberis?" attoniti rogaverunt.


"Certe. Sine Dorothea numquam cerebrum obtinuissem. Illa me de conto in agro sublevavit et ad Urbem Smaragdorum adduxit. Itaque meam bonam fortunam ei soli debeo, atque eam numquam deseram dum ad Kansam ad ultimum proficiscatur."


"Benigne facitis," Dorothea animo grato dixit. "Vos omnes amicissimi estis. Sed velim quam primum proficisci."

"Cras ibimus mane," rettulit Terriculus. "Quare nunc nos ad iter paremus omnes, longum enim erit."



Capitulum XIX. Impetus Arborum Pugnantium.







Temperi postero die mane Dorothea puellam bellam viridem osculata valere iussit, et omnes cum milite barba viridi dextras iunxerunt, qui eos usque ad portam comitatus erat. Vigil Portarum cum eos iterum videret magnopere miratus est quod Urbem pulchram ad novas molestias habendas relinquere sustinebant. Sed statim perspicilla eis reseravit, quae in arcam viridem reposuit, et multa bona in futurum optavit.

"Nunc noster es rex," Terriculo dixit; "itaque tibi ad nos quam primum redeundum est."

"Certe redibo si potero," respondit Terriculus; "sed antea me oportet Dorotheam ad domum repetendam adiuvare."

Dorothea postremum Vigili benevolenti valedicens dixit,

"In Urbe tua venusta amicissime tractata sum, et omnes mihi benigni fuerunt. Non possum enarrare tibi quam grata sim."

"Noli conari, cara mea," respondit. "Velimus te nobiscum retinere, sed si cupis ad Kansam redire spero te viam inventuram esse." Tum portam muri exterioris aperuit et illi exeuntes profecti sunt.

Sol clare lucebat cum amici nostri faciem ad Terram Meridiei verterunt. Omnes optimo animo erant, et inter se ridebant garriebantque. Dorothea iterum spe plena erat se domum reversuram esse, et Terriculus Lignatorque Stanneus laetabantur se ei utiles esse. Leo quidem aërem purum gaudens odorabatur et caudam ultro citroque voluptate mera quod iterum ruri erat movebat, dum Toto, continuo hilare latrans, eos circumcursabat et blattas papilionesque captabat.

"Vita urbana ne minime quidem mihi convenit," inquit Leo, dum passu rapido ingrediuntur. "Multum macrescui ex quo tempore ibi vixi, et nunc aveo bestiis ceteris demonstrare quam animosus factus sim."

Nunc circumacti postremum Urbem Smaragdorum contemplati sunt. Nihil videre poterant nisi magnam copiam tur-



"Rami se demiserunt eumque implicaverunt."


DEN

rium et fastigiorum post muros virides, et alte super omnia cetera edita culmina tholumque Regiae Oz.

"Verumtamen non erat tam malus Magus Oz," dixit Lignator Stanneus, cor quod in pectore sibi crepitabat sentiens.

"Cerebrum mihi dare valuit, et quidem optimum," dixit Terriculus.

"Si potionem eiusdem virtutis quam mihi dedit sumpsisset Oz," addidit Leo, "vir fuisset animosus."

Dorothea nihil dixit. Oz fidem quam ei dederat violaverat, sed fecerat quod potuit, veniam ergo ei dedit. Ut dixerat, vir erat bonus, etiam si Magus erat malus.

Primi diei iter per campos virides erat et per flores splendentes qui circum Urbem Smaragdorum ubique extendebantur. Illa nocte in gramine, stellis tecti solis, excubuerunt; et optime quidem dormiverunt.

Mane rursus procedebant dum ad silvam densam ventum est. Quam nullo modo circumire poterant, nam ad dextram et ad sinistram quousque videre valebant patescere videbatur; et, praeterea, cursum itineris sui mutare non ausi sunt ne a via errarent. Locum ergo petiverunt unde facile esset silvam intrare.

Terriculus, qui ceteros antecedebat, denique magnam arborem invenit cuius rami se tam late pandebant ut locus ad subeundum esset. Itaque ad arborem processit, sed simul atque primos ramos subivit illi se demiserunt eumque implicaverunt, et proximo momento temporis a terra sublevatus praeceps inter conviatores coniectus est.

Laesus Terriculus non est, verum attonitus, et a Dorothea sublatus aliquantum vertigine corripi videbatur.

"Hic aliud est spatium inter arbores," clamavit Leo.

"Primus experiar ego," dixit Terriculus, "iactatus enim non laedor." Sic loquens ad aliam arborem processit, sed rami eum statim prehenderunt et iterum reiecerunt.


"Quam insolitum," exclamavit Dorothea; "quid faciemus?"


"Arbores," inquit Leo, "videntur nobiscum pugnare, et itinere prohibere constituisse."

"Experiar, puto, ego ipse," dixit Lignator, et securi in umero sublata ad primam arborem quae Terriculum tam aspere tractaverat aggressus est. Ramum magnum se ad eum prehendum demittentem Lignator tam saeve securi oppugnavit ut in duas partes secaret. Statim arbor omnes ramos quasi dolens agitare coepit, et Lignator Stanneus incolumis subivit.

"Venite!" ceteris clamavit; "festinate!"

Omnes procucurrerunt et incolumes arbori successerunt, excepto Totone, qui a ramo parvo prehensus ita agitatus est ut ulularet. At Lignator extemplo ramum abscidit et canem parvum liberavit.





Ceterae arbores nihil ad eos retinendos fecerunt, itaque iudicaverunt primam arborum seriem solum ramos inflectere posse, et illas verisimiliter custodes esse silvae, atque hac mira potentia instructas esse ut advenas excluderent.

Viatores quattuor inter arbores facile progressi sunt dum ad finem silvae ulteriorem venerunt. Tum, admirantes, ante se murum reppererunt altum, qui ex murra alba constare videbatur. Erat levis, velut lancis superficies, et capita eorum altitudine superabat.

"Quid nunc faciemus?" rogavit Dorothea.

"Scalas faciam," dixit Lignator Stanneus, "quia certe hic murus nobis transcendendus est."

Capitulum XX.
Terra Murrina Delecta.





Veterno per longum iter affecta Dorothea decubuit et se somno dedit dum Lignator Stanneus scalas facit e materia quam in silva reppererat. Leo quoque se ad dormiendum contraxit et Toto iuxta eum iacebat.

Terriculus Lignatorem laborantem observabat, eique dixit: "Non possum coniectare cur hic murus hic sit, neque ex quo constet."

"Requiescat tibi cerebrum et noli de muro sollicitari," respondit Lignator; "quo transcenso cognoscemus quid ultra sit."

Mox scalae perfectae sunt. Inhabiles videbantur, sed Lignator Stanneus pro certo habebat validas eas esse et ad rem aptas. Terriculus Dorotheam et Leonem et Totonem ex somno excitavit, atque scalas paratas esse docuit. Primus scalas ascendit Terriculus, at tam erat ineptus ut Dorotheae subsequendum esset ne decideret. Capite super murum elevato,

"Papae!" exclamavit Terriculus.

"Progredere," vociferavit Dorothea.


Itaque Terriculus ulterius ascendit et in summo muro consedit, et Dorothea capite supra murum extento exclamavit,

"Papae!" non aliter quam fecerat Terriculus.

Deinde ascendit Toto, et extemplo latrare coepit, sed Dorothea eum silere coegit.

Proximus ascendit scalas Leo, postremusque venit Lignator Stanneus; sed ambo simul atque supra murum spectaverunt exclamaverunt, "Papae!" Postquam omnes ex ordine summo in muro sedebant despexerunt et spectaculum viderunt mirabile.

Ante eos protendebatur grandis tractus cuius solum tam leve erat et nitidum et candidum quam fundus patinae magnae. Hic illic dispersae erant multae villae e murra aedificatae totae et coloribus splendidissimis pictae. Admodum parvae erant hae villae, quarum maxima mediam tantum Dorotheam attingebat. Erant quoque bella horreola, saepibus murrinis circumdata,



"Hi erant toti e murra facti."



multaeque vaccae et oves et equi et porci et pulli, omnes e murra facti, qui catervatim circumstabant.

Sed omnium inusitatissimi erant homines qui in hac mira terra habitabant. Erant ancillae cum mulctris et ancillae cum ovibus, vestibus versicoloribus et maculis aureis ubique distinctis indutae; et virgines regiae quarum pallae magnificentissimae argenteae erant et aureae et purpureae; et pastores bracati cum vestibus virgis perpendiculis roseis et flavis et caeruleis ornatis, et calceis auro fibulatis; et iuvenes regii cum coronis gemmatis in capitibus, trabeis ermineis tunicisque bombycinis vestiti; et balatrones ridiculi vestimenta gerentes cum torquibus crispatis, petasosque altos fastigatos, quorum genae maculis rubris rotundis depictae erant. Et, quod omnium erat inusitatissimum, hi erant toti e murra facti, ipsi vestesque, et tam brevis erant staturae ut procerissimus inter eos genua Dorotheae non superaret.

Primo ne oculos quidem ad viatores convertit quisquam, excepto caniculo quodam purpureo murrino cui caput erat permagnum, qui ad murum venit eosque voce perparva allatravit, quo facto se in fugam dedit.

"Quomodo descendemus?" rogavit Dorothea.

Scalas reppererunt esse tam graves ut attolli non possent, itaque Terriculus de muro decidit et ceteri in eum desiluerunt ne solum durum pedibus noceret. Nimirum operam dabant ne in caput ei inciderent et acus in pedes acciperent. Cum omnes

incolumes descendissent Terriculum sublevaverunt, cuius corpus admodum contusum erat, et stramen ei premendo reformaverunt.

"Necesse est nobis hanc miram regionem transire ut ad partem alteram perveniamus," dixit Dorothea; "nam stultum sit alia quam recta via ad Meridiem procedere."

Per terram hominum murrinorum progredi coeperunt, et principio in ancillam inciderunt murrinam quae vaccam mulgebat murrinam. Ut appropinquabant vacca subito calces remisit et pedibus scabellum mulctramque atque etiam ipsam ancillam evertit, quae omnia crepitu magno in solum murrinum ceciderunt.

Dorothea animadvertens vaccae crus unum totum abruptum esse mulctramque comminutam hic illic iacere, ancillae autem miserae assulam e cubito sinistro excidisse, magnopere perturbata est.

"Ecce!" irate exclamavit ancilla; "adspicite quod fecistis! Vacca mea crus fregit, atque ad sartoris officinam ducenda est ut crus iterum agglutinetur. Quid in animo habetis quod huc venitis et vaccam mihi territatis?"

"Valde me paenitet," respondit Dorothea; "ignosce sodes nobis."

Sed ancilla bella multo magis offensa erat quam ut quicquam responderet. Crus morose sustulit et vaccam miseram, tribus cruribus claudicantem, abduxit. Discedens ancilla advenas

ineptos saepe super umerum quasi obiurgans respexit, cubito laeso arte lateri applicato.



Hic casus Dorotheam magno dolore affecit.

"Hic admodum cavere debemus," dixit Lignator humanus: "aliter fieri poterit ut his bellis homunculis ita noceamus ut se numquam recipiant."

Paulo ulterius Dorothea virgini regiae pulcherrime vestitae occurrit, quae advenis visis confestim substitit et fugere coepit.

Dorothea virginem regiam melius cognoscere voluit, itaque cursu eam secuta est; sed virgo murrina exclamavit,

"Noli me persequi! noli me persequi!"


Vocula ei tam territa erat ut Dorothea subsisteret et diceret,

"Cur non?"

"Propterea quod," respondit virgo regia, intervallo tuto subsistens et ipsa, "si curro fieri potest ut cadam atque confringar."

"Nonne resarciri possis?" rogavit puella.

"Vero possim; sed resarta certe numquam sis tam bella quam ante," respondit virgo regia.



"Sic esse videtur," dixit Dorothea.

"Est quidem unus de balatronibus nostris, nomine Ridiculus," perrexit domina murrina, "qui semper in capite stare conatur. Tam saepe se confregit ut sescentis locis sit resartus, et minime quidem bella est specie. Ecce nunc obviam venit, itaque ipsa videre poteris."

Revera iam ad eos accedebat hilari vultu Balatro parvus, et Dorothea, non obstantibus vestibus eius bellis rubris et flavis et viridibus, cernere potuit eum rimis penitus esse plenum, quae ubique ductae eum multis locis resartum esse manifeste ostendebant.


Balatro, manibus in sinus insertis et buccis inflatis, capite eis nutans procaciter dixit,

"O domina venusta,
Quid oculos figis intenta
In tam veterem Balatronem?
Es rigida et dura et inepta,
Non aliter quam si cum cena
Iam comedisses harpagonem!"

"Tace, bone vir!" dixit virgo regia; "nonne videre potes hos esse advenas, et cum reverentia tractari debere?"

"En, haec est, puto, revera reverentia," inquit Balatro, et extemplo in capite stetit.

"Noli de Ridiculo illo laborare," Dorotheae dixit virgo regia; "caput ei admodum est rimosus, quod eum fatuum facit."



"Ne minime quidem laboro," dixit Dorothea. "Sed tu tam pulchra es," perrexit, "ut pro certo habeam me posse te ex animo amare. Nonne mihi permittes te ad Kansam reportare et in foco Amitae Em statuere? In corbe mea te portare possim."

"Sic agens me miserrimam facias," respondit virgo regia murrina. "Hic enim in terra nostra propria contenti vivimus, atque loqui et commeare ut libet valemus. Sed quandocumque quis nostrum aufertur articuli ei statim rigescunt, et solum erecti

stare et speciem praebere lepidam possumus. Sine dubio nihil aliud a nobis in focis abacis mensis stantibus postulatur, sed multo iucundius hic in terra nostra propria vivimus."

"Numquam te ulla ratione miseram faciam," exclamavit Dorothea; "quare solum vale dicam."

"Vale," respondit virgo regia.

Caute per terram murrinam processerunt. Animalia parva et omnes homines eos cursu vitaverunt, veriti ne advenae se frangerent, et post horam plus minus viatores partem regionis alteram attigerunt et alium murum murrinum invenerunt.

Non autem erat tam altus quam fuerat prior, et stando in tergo Leonis in culmen escendere successit. Inde Leo crura sub se collegit et in murum insiluit; sed cum maxime hoc ageret cauda sua ecclesiam murrinam evertit et totam discussit.

"Incommode accidit," dixit Dorothea, "sed revera feliciter puto evenit ut his homunculis non nisi crus vaccae ecclesiamque frangendo nocuerimus. Tam fragiles sunt omnes!"

"Sunt quidem," dixit Terriculus, "et gratus sum me e stramine constare nec facile laedi posse. Sunt res in mundo peiores quam esse Terriculum."

Capitulum XXI.
Leo Rex Fit Bestiarum.





A MURO murrino descendentes, viatores prae se terram viderunt iniucundam, paludibus plenam stagnisque et gramine obsitam alto luxuriosoque. Longius progredi difficile erat ut non in lacunas incideres lutulentas, nam gramen tam erat densum ut eas occuleret. At viam diligenter eligendo incolumes progredi poterant dum ad terram firmam pervenerunt. Sed haec regio etiam rudior esse videbatur, et post iter longum et laboriosum per virgulta silvam intraverunt aliam, ubi arbores maiores erant et antiquiores quam ullae quas umquam viderant.

"Haec silva plane est iucundissima," declaravit Leo, cum gaudio circumspectans; "numquam locum vidi pulchriorem."

"Tristis esse videtur," dixit Terriculus.

"Ne minime quidem," respondit Leo; "hic vitam degere velim totam. Vide folia arida quam mollia sub pedibus sint et muscum qui his arboribus antiquis adhaeret quam sit opimus et viridis. Certe nulla bestia sibi domum amoeniorem optare possit."

"Fortasse in silva sunt bestiae nunc," dixit Dorothea.

"Ita esse mihi videtur," rettulit Leo; "sed nullas in vicino video."

Per silvam processerunt dum lumen obscurius factum est quam ut ulterius progrederentur. Dorothea et Toto et Leo ad dormiendum decubuerunt, vigilantibus ut semper Lignatore Terriculoque.

Mane denuo profecti sunt. Non longe progressi erant cum murmur summissum audiverunt, velut fremitum ferarum multarum. Toto paululum gannivit sed nemo alius timebat et semitam sequi frequentatam perstiterunt dum ad locum in silva venerunt apertum, in quo bestiae permultae omnium generum convenerant. Erant tigrides et elephanti et ursi et lupi et vulpes et ceterae in historia naturali omnes, et paulisper Dorothea territa est. Sed Leo edocuit animalia contionem habere, seque ex murmure fremituque existimare ea in magnis angustiis esse.

Eum dum loquitur nonnullae bestiarum conspexerunt, et


statim conventus magnus velut vi magica tacuit. Tigridum maximus ad Leonem appropinquavit eumque salutans dixit,

"Salve, O Rex Bestiarum! Ad tempus venisti qui cum hoste nostro dimices et pacem omnibus silvae animalibus iterum afferas."

"Quid vos sollicitat?" placide rogavit Leo.

"Periculum nobis impendet omnibus," tigris respondit, "ab hoste saevo allatum qui recens hanc silvam ingressus est. Monstrum est immanissimum, araneae instar ingentis, cui corpus est tantum quantum elephans et crura tam longa quam truncus arboris. Octo sunt haec crura longa, et per silvam serpens bestiam aliquam crure rapit et ad os trahit, ubi eam ita vorat ut aranea muscam. Nemo nostrum hoc monstro vivo tutus est, et conventum edixeramus ad constituendum quomodo nobis consulere possemus cum tu inter nos venisti."

Leo paulisper cogitavit.



"Suntne alii leones in hac silva?" rogavit.

"Non sunt; fuerunt, sed monstrum eos devoravit omnes. Et insuper nulli eorum magnitudine et fortitudine proxime ad te accedebant."

"Si hostem vestrum delevero subicietisne vos mihi et ut Regi Silvae parebitis?" inquisivit Leo.

"Libenter ita faciemus," rettulit tigris; et ceterae bestiae omnes fremitu magno fremuerunt: "Ita faciemus!"

"Ubi nunc est aranea magna ista?" rogavit Leo.

"Illic, inter quercus," dixit tigris, pede priore monstrans.

"Bene custodite hos amicos meos," dixit Leo, "et statim ad monstrum oppugnandum progrediar."

Comitibus valedixit et superbus ad proelium cum hoste committendum profectus est.

Dormientem invenit Leo araneam magnam, et speciem praebebat tam foedam ut hosti suo fastidio esset. Crura plane erant tam longa quam tigris indicaverat, et corpus villis crassis et nigris tegebatur. Os habebat magnum, serie dentium acutorum praeditum pede longorum; sed caput corpori obeso cervice erat coniunctum tam tenui quam media vespa. Quae res Leoni modum optimum monstrum aggrediendi monstravit, et sciens facilius esse dormientem quam vigilantem oppugnare, saltum dedit magnum et recta in tergum monstri devenit. Inde, ictu uno pedis ponderosi, unguibus acutis bene instructi, caput araneae a corpore diremit. Tum desiluit et observavit donec


crura longa agitare se destiterunt, quo facto pro certo habuit eam plane mortuam esse.


Leo ad locum apertum redivit ubi bestiae silvae eum exspectabant et superbus dixit,

"Iam non timendus vobis est hostis vester."

Deinde bestiae Leonem Regem suum salutaverunt, et ille promisit se ad eos regendos reventurum esse simul atque Dorothea ad Kansam revera profecta esset.

Capitulum XXII.
Terra Quadlingorum





Tuto QUATTUOR VIATORES silvam reliquam transgressi sunt, cuius e tenebris emersi ante se collem viderunt arduum, saxis ingentibus ubique adopertum.

"Ascensus ille difficilis erit," dixit Terriculus, "sed nihilominus collis nobis transgrediendus est."

Itaque praeivit et ceteri secuti sunt. Paene ad saxum primum pervenerant cum vocem audiverunt acerbam quae clamavit,

"Consistite!"

"Quis es tu?" rogavit Terriculus. Tum caput quoddam se super saxum ostendit et vox eadem dixit,

"Hic collis noster est proprius, neque quempiam sinimus transire."

"Sed nobis transeundus est," dixit Terriculus. "Iter ad terram Quadlingorum facimus."

"Sed non facietis!" vox iteravit, et a tergo saxi progressus est homo inusitatissimus quem viatores umquam viderant.


Corpore erat admodum brevis pinguisque et caput habebat magnum, quod in summo planum erat et cervice crassa rugosaque sustinebatur. Bracchia autem nulla habebat, quo viso Terriculus non verebatur ne homo tam inermis posset prohibere quin collem ascenderent. Dixit ergo,

"Paenitet me morem tibi non gerere, sed nobis collis tuus transeundus est seu vis seu non vis," et audacter progressus est.


Fulminis ritu caput hominis subito emicavit cervixque se protendit dum summum caput, ubi planum erat, Terriculum percussit medium et praeceps, sursum deorsum, de colle misit. Tam celeriter paene quam venerat caput ad corpus se retraxit, et homo acerbe risit dixitque,

"Tam facile quam putas non est!"

Cachinnus turbidus a saxis ceteris ortus est, et Dorothea sescentos Mallecipites sine bracchiis in clivo collis vidit, post omne saxum unum.



"Caput emicavit Terriculumque percussit."



Leo ob risum ex incommodo Terriculi ortum valde iratus est, et rugitum edens magnum qui veluti tonitrus resonavit adverso colle ruit.

Iterum caput rapide emicavit, et magnus Leo velut ballista percussus de colle devolutus est.

Dorothea accurrit et Terriculo exsurgenti subvenit, et Leo ad eam accessit, contusus et admodum debilitatus, et dixit,

"Nihil prodest adversum homines pugnare quorum capita emicant; nemo eis resistere possit."

"Quid ergo facere possumus?" rogavit illa.

"Arcesse Simios Alatos," suasit Lignator Stanneus; "semel etiam iure eis imperare potes."

"Ita fiat," respondit, et Petasum Aureum induta verba magica edidit. Simii tam celeres erant quam semper, et paucis post momentis tota manus ante eam stabat.

"Quae sunt tua mandata?" quaesivit Rex Simiorum, caput humiliter inclinans.

"Portate nos super collem ad terram Quadlingorum," respondit puella.

"Fiet," Rex dixit, et statim Simii Alati viatores quattuor Totonemque bracchiis sustulerunt et cum eis avolaverunt. Dum collem superant Mallecipites frustrati eiulaverunt, et capita alte in aërem emiserunt; sed Simios Alatos attingere non poterant, qui Dorotheam comitesque impune super collem portaverunt et in terram pulchram Quadlingorum deposuerunt.

"Hoc ultimum tibi nos arcessere licuit," dux dixit Dorotheae; "vale ergo et bene sit tibi."

"Valete, et gratias vobis ago multas," respondit puella; atque Simii in aërem se levaverunt et temporis puncto evanuerunt.

Terra Quadlingorum speciem praebebat opimam et felicem. Erant agri innumeri, viis bene stratis seiuncti, ubi frumentum maturescebat, et strepebant rivi pulchelli pontibus iuncti validis. Saepes et casae et pontes omnes pigmento rubro lucebant, ita ut in terra Winkium colore flavo tincta erant et colore caeruleo in terra Munchkinorum. Quadlingi ipsi, qui erant breves pingues rotundi et faciles esse videbantur, vestibus vestiti erant omnino rubris, quae inter gramen viride et frumentum flavescens clare fulgebant.

Simii eos prope villam quandam deposuerant, ad quam viatores quattuor accesserunt et ianuam pulsaverunt. Ab uxore agricolae aperta est, et cum Dorothea cibum petivisset femina cenam eis omnibus praebuit bonam, cum placentis trium generum et crustulis quattuor generum, necnon Totoni pateram lactis plenam.

"Quam longinquum est Castellum Glindae?" rogavit puella.

"Non longe abest," respondit uxor agricolae. "Viam sequimini quae ad Meridiem ducit et mox eo pervenietis."


Gratiis feminae bonae actis, denuo profecti sunt et praeter agros et trans pontes pulchros processerunt dum ante se Castellum pulcherrimum viderunt. Ante portas erant tres vir-

gines, vestibus vestitae rubris militaribus speciosis limbo aureo circumdatis, quarum una Dorotheae appropinquanti dixit,

"Cur ad Terram Meridianam venistis?"


"Ut videamus Magam Bonam quae hic regnat," respondit. "Duc me quaeso ad eam."


"Dic mihi quis sis et Glindam rogabo si te accipere velit." Nomina ei sua dederunt, et virgo militaris Castellum intravit. Paucis post momentis redivit et dixit Dorotheam ceterosque statim admittendos esse.



Capitulum XXIII.

Maga Bona Dorotheae Morem Gerit.





Benigne autem, antequam Glindam viderunt, ad conclave quoddam Castelli ducti sunt, ubi Dorothea faciem sibi lavit comamque pexit, et Leo pulverem e iuba excussit, et Terriculus se in formam optimam manibus redegit, et Lignator stannum suum polivit et articulos lubricavit.

Cum essent omnes admodum decentes virginem militarem in conclave magnum secuti sunt ubi Maga Glinda in solio sedebat carbunculis adornato.

Videbatur eis esse et pulchra et iuvenis. Capilli flammei super umeros cincinnati fluebant. Stola erat tota alba; sed oculi caerulei erant, et puellam parvam benigne aspexerunt.

"Quid tibi gratum facere possum, puella mea?" rogavit.

Dorothea omnia Magae ex ordine narravit; quomodo turbo se ad Terram Oz attulisset, quomodo comites suos repperisset, et res miras quae sibi acciderant.

"Nunc me maxime tenet desiderium," addidit, "ad Kansam redeundi, quia Amita Em sine dubio putabit aliquid mihi terribile accidisse, quare vestes lugubres indutura est; et nisi messis hoc anno melior est quam fuit proximo pro certo habeo Patruum Henericum non satis pecuniae ad eas emendas habiturum esse."

Glinda se proclinavit et faciem dulcem puellulae amantis sursum versam basiavit.

"Macta animo pio," dixit, "non dubito quin rationem tibi ad Kansam redeundi monstrare possim." Tum addidit:

"Sed mihi sic facienti te Petasum Aureum dare oportebit."

"Libenter!" exclamavit Dorothea; "quippe qui usui mihi iam nulli est, et tibi eum possidenti ter Simiis Alatis imperare licebit."

"Et arbitror mihi ter solum officiis eorum opus futurum esse," surridens Glinda respondit.

Deinde Dorothea Petasum Aureum ei dedit, et Maga Terriculo dixit,




"Mihi te Petasum Aureum dare oportebit."



nifica antiqua, et omnes bestiae quae ibi habitant me Regem suum fecerunt. Si modo ad eam silvam redire possim laetissime ibi vitam degam."

"Tertio Simiis Alatis imperabo ut te in silvam tuam portent," dixit Glinda. "Deinde, potentia Petasi Aurei consumpta, Regi Simiorum eum dabo, ut una cum manu sua in perpetuum liber sit."

Nunc Terriculus et Lignator Stanneus et Leo Magae Bonae ob eius benignitatem ex animo gratias egerunt, et Dorothea exclamavit,



"Certe tam bona es quam pulchra! Sed nondum rationem mihi ad Kansam redeundi monstravisti."

"Calcei tui Argentei te trans solitudinem portare possunt," respondit Glinda. "Si potentiae eorum conscia fuisses potuisses ad Amitam tuam Em redire ipso die quo primum ad hanc terram venisti."

"At tum cerebrum meum mirum non adeptus essem!" exclamavit Terriculus. "Fortasse vitam totam in agro agricolae egissem."

"Et ego cor meum iucundum non adeptus essem," dixit Lignator Stanneus. "Robigine obductus in silva ad ultimum diem mundi fortasse stetissem."

"Et ego ignavus in perpetuum vixissem," asseravit Leo, "neque ulla bestia in tota silva observans mei fuisset."

"Hoc omne verum est," dixit Dorothea, "et gaudeo me his bonis amicis profuisse. Sed nunc cum quisque eorum obtinuerit id quod maxime cupiebat, et quisque accepto insuper regno laetus sit, videtur mihi, puto, ad Kansam redire."

"Calcei Argentei," dixit Maga Bona, "potentias habent miras. Inter quas praestantissimum fortasse illud est quod tribus passibus te quoquam terrarum ferre possunt, et quod passus quisque puncto temporis conficietur. Opus est tantum ut calces ter collidas et calceis imperes ut te ferant quocumque ire optabis."

"Si ita est," laete dixit puella, "rogabo eos ut me ilico ad Kansam referant."

Leoni collum bracchiis circumdedit caputque magnum molliter permulcens basiavit. Tum basiavit Lignatorem Stanneum, qui modo articulis suis periculosissimo lacrimabat. At Terriculo non vultum pictum basiavit sed corpus molle et stipatum complexu tenuit, et animadvertit se ipsam ob hunc discessum maestum a comitibus suis amantibus lacrimare.

Glinda Bona a solio carbunculis adornato surrexit ut puellae parvae cum basio valediceret, et Dorothea ei gratias egit ob omnem benevolentiam quam amicis suis sibique ostenderat.

Nunc Dorothea Totonem bracchiis sollemniter sustulit, et ultimum valedicens calcibusque calceorum ter collisis, dixit,

"Ferte me domum ad Amitam Em!"



* * * * *

Extemplo per aërem circumvoluta est, tam celeriter ut nihil videre vel sentire posset nisi ventum praeter aures stridentem.

Calcei Argentei tres solum gradus fecerunt, post quos tam subito constitit ut saepius in gramine provolveretur antequam intellexit ubi esset.


Postremo autem se erexit et circumspexit.

"Euax!" exclamavit.

Kansae enim in campis latis sedebat, et prae se casam conspexit novam quam Patruus Henericus aedificaverat postquam turbo priorem asportavit. Patruus Henericus vaccas prope horreum mulgebat, et Toto e bracchiis desiluerat et laete latrans ad horreum currebat.

Dorothea surrexit et animadvertit se pedibus esse nudis. Nam per aërem volanti Calcei Argentei deciderant, et in perpetuum in solitudine amissi erant.

Capitulum XXIV.
Denuo Domi.



AMITA EM E CASA AD BRASSICAS irrigandas modo egressa erat cum suspexit et Dorotheam sibi occurrentem vidit.

"Carissima mea!" exclamavit, puellam parvam amplectens et perosculans; "unde gentium venisti?"

"A Terra Oz," graviter dixit Dorothea. "Et hic est Toto quoque. Et o Amita Em! tam laetor quia denuo sum domi!"



Library of Congress Cataloging-in-Publication Data

Baum, L. Frank (Lyman Frank), 1856–1919.
Magus Mirabilis in Oz.

"The Classical Wizard"—Cover.
Translation of: The Wizard of Oz.
Summary: After a cyclone Dorothy finds herself
in the land of Oz where she seeks out the great
wizard hoping he can return her to Kansas.
[1. Fantasy. 2. Latin language materials]
I. Denslow (William Wallace), 1856–1915, ill.
II. Hinke, C. J. III. Van Buren, George. IV. Title.
PZ90.L3B38 1986 [Fic] 86-13886
ISBN 0-85967-723-0
LC PZ90.L3B38 1986

British Library Cataloguing-in-Publication Data

Baum, L. Frank
[The wonderful Wizard of Oz. *Latin*]
The classical Wizard = Magus mirabilis in Oz.
I. [The wonderful Wizard of Oz. *Latin*]
II. Title. II. Denslow, W.W.
813′.52 PS3503.A923
ISBN 0-85967-723-0

HIC finitur fabula cuius titulus "Magus Mirabilis in Oz," quam scripsit L. Franciscus Baum, picturis ornavit Gulielmus Wallace Denslow. Scalpturas fecerunt Wilsted et Taylor, chartam praebuit Societas P. H. Glatfelter, librum sumptibus Preli Scolar typis expressit Malloy Lithographing, Inc., et opus perfecit anno MCMLXXXVII.



The Classical Wizard
Magus Mirabilis in Oz

VOCABULARY
INDEX VERBORUM SELECTORUM

Konrad Gries
Professor Emeritus, Queens College, New York

This is not a complete vocabulary to *The Classical Wizard.* Excluded are words with which a third-year student of Latin may reasonably be assumed to be familiar (admittedly a subjective decision); words whose meaning may be gathered from their context, such as *orbe* and *primitus* (p. 12); and words whose English derivatives make their meaning obvious, such as *circuitum* and *pigmento* (*ibid.*). Included are words whose English derivatives are likely to mislead, such as *laborare* (p. 232) and *lascivi* (p. 172), as well as idiomatic phrases such as *morem gerere* and *secundo flumine.*

Only those meanings are given which are appropriate to the context: e.g., for *fides* (p. 221) only "promise," for *nequitia* (p. 170) only "mischief."

Long vowels are marked only when they are needed for clarity.

abacus -i m., cabinet
abnuo -ui 3, shake the head (in denial)
abstergo -rsi -rsum 2, dry, wipe away
accio -ivi -itum 4, beckon
acerbus -a -um, rough, harsh
acervatim, in a heap
acervus -i m., heap, pile
aculeus -i m., sting
acumen -inis n., point
acus -us f., pin, needle
adamas -antis m., diamond
adeo, so much
adhuc, still
adimo -emi -emptum 3, take away from
adipiscor -eptus 3, obtain, acquire
admodum, quite
adolesco -evi -ultum 3, grow up, reach manhood
adoperio -ui -tum 4, cover
aduro -ussi -ustum 3, singe
advena -ae m., stranger
adventicius -a -um, foreign
aequalis -e, even, straight, symmetrical
aerumna -ae f., trouble
ala -ae f., wing
alatus -a -um, winged
ales -itis m., f., bird
alicunde, from somewhere
allatro -avi -atum 1, bark at
amita -ae f., aunt
amoenitas -atis f., beauty
amoenus -a -um, pleasant
amplector -xus 3, cling to, clasp
ancilla -ae f., maid (servant)
ancon -onis m., arm (of a chair)
angustiae -arum f., hardships, trouble, straits
anhelo -avi -atum 1, catch one's breath, gasp, pant
anicula -ae f., little old woman
animosus -a -um, brave
aperio -ui -tum 4, open
apis -is f., bee
apparitor -oris m., officer, attendant
apricus -a -um, open, sunny
aranea -ae f., spider
arca -ae f., box
arceo -cui -ctum 2, keep away
arcuatus -a -um, arched
argumentum -i n., proof
argutus -a -um, bright (clever)
armarium -ii n., wardrobe
armentum -i n., stock, cattle
armilla -ae f., bracelet
aro, -avi, -atum 1, plow
arrepo -psi -ptum 3, creep (toward)
artē, fast, soundly, deeply
articulus -i m., joint
aspergo -si -sum 3, spot, stain
asporto -avi -atum 1, carry away
assuefactus -a -um, used to
assula -ae f., chip, splinter
attonitus -a -um, surprised
attrecto -avi -atum 1, take hold of
augeo -xi -ctum 2, add to, increase
augustus -a -um, stately
aula -ae f., throne room
aulicus -i m., courtier
aura -ae f., breeze, breath of air
aurifex -icis m., goldsmith
auster -tri m., south wind
avena -ae f., oat
aveo 2, long for
avus -i m., grandfather
baculum -i n., walking stick, cane
balatro -onis m., clown
ballista -ae f., cannon
bellis -idis f., daisy
bis, twice
blatta -ae f., moth
bombyx -ycis m., satin
boreas -ae m., north wind
bracatus -a -um, dressed in knee-breeches
bracchium -ii n., arm
brassica -ae f., cabbage
botyrum -i n., butter
bucca -ae f., cheek
cachinnus -i m., loud laugh, guffaw
cacillatus -us m., cackling
cacumen -inis n., point, top, peak
caeco -avi -atum 1, blind, dazzle

caelo -avi -atum 1, inlay, engrave
caeruleus -a -um, blue
calceus -i m., shoe
calco -avi -atum 1, tread on, step on
calefacio -feci -factum 3, warm
calidus -a -um, warm
caliga -ae f., boot
caligo 1, darken
calor -oris m., heat
calx -cis f., heel; hoof
camera -ae f., arched roof
cancellus -i m., bar, grating
cano, cecini, cantum 3, blow (on a musical instrument)
canus -a -um, white
capillus -i m., hair
capulus -i m., handle
carbo -onis m., coal
carbunculus -i m., ruby
carcer -eris m., prison
cardo -inis m., hinge
carmen -inis n., charm, spell, magical chant
carnalis -e, (made of) meat
cassum: in cassum profundere, waste; *in cassum iter facere*, make a journey for nothing
casa -ae f., house
casu, by chance
casus -us m., event, happening; fall
catena -ae f., chain
caterva -ae f., party, group, company
catervatim, in groups
catulus -i m., puppy; *catulus felis*, kitten
cauda -ae f., tail
caulis -is m., stalk, stem
caute, carefully, cautiously
caveo, cavi, cautum 2, take care
celo -avi -atum 1, hide
cenaculum -i n., garret, attic
cerebrum -i n., brain
cerno, crevi, cretum 3, see, perceive
cervix -icis f., neck
cervus -i m., deer, stag
cesso -avi -atum 1, stop
charta -ae f., paper
cibaria -iorum n., things to eat, food
ciconia -ae f., stork
cincinnatus -a -um, curled, in ringlets
circumago -egi -actum 3, turn around
cirrus -i m., lock (of hair), curl
claudico 1, limp
claustrum -i n., lock, fastener
clavicula -ae f., little key
clavis -is f., key
clavus -i m., peg
clivosus -a -um, hilly
clivus -i m., slope; *clivus collis*, hillside
coccineus -a -um, scarlet
codex -icis m., block
cogitatim, thoughtfully
coma -ae f., hair
comburo -ussi -ustum 3, burn up
comedo -edi -esum 3, eat up
comes -itis m., companion
comiter, in a friendly way
comitor -atus 1, accompany
commeo -avi -atum 1, move around
comminuo -ui -utum 3, break in pieces, shatter
commode, comfortably, conveniently, opportunely
comperio -i -tum 4, find out
compingo -egi -actum 3, fasten together
complico -avi -atum 1, fold together; *complicatus -a -um*, in plaits
concinne, neatly
conclave -is n., room
concutio -cussi -cussum 3, shake
condono -avi -atum 1, pardon, forgive
conferrumino 1, solder
confertim, in thick bunches
confestim, immediately, without delay
confiteor -fessus 2, admit, confess
conglobo -avi -atum 1, roll up
consido -sedi 3, sit down
consterno -stravi -stratum 3, cover (by strewing or spreading)
consto -stiti -stitum 1, cost
consummo -avi -atum 1, complete
consuo -sui -sutum 3, sew together
contero -trivi -tritum 3, wear out
contio -onis f., meeting, assembly
contundo -tudi -tusum 3, dent, bruise
contus -i m., pole
coquo -xi -ctum 3, cook
cor, cordis m., heart
coram, face to face
corbis -is f., basket
cornix -icis f., crow
cos, cotis f., grindstone
cras, tomorrow
crassus -a -um, thick
crastinus dies, the next day
crebro, repeatedly
crepitus -us m., noise
cresco, crevi, cretum 3, grow
creteus -a -um, (made of) chalk
crispatus -a -um, ruffled
croceus -a -um, yellow
crus -uris n., leg
crustum -i n., cake, pastry
cubile -is n., bed
cubitum -i n., elbow
cubo -ui -itum 1, lie down
cudo 3, hammer
culina -ae f., kitchen
culmen -inis n., top; spire
culmus -i m., blade (of grass)
cum maxime, just as, at the very moment when; *cum . . . tum*, as well as, not only . . . but also
cunae -arum f., cradle
curo -avi -atum 1, take care of, worry about
currus -us m., cart
cutis -is f., skin
daps, dapis f., something to eat, food
dedecus -oris n., shame, disgrace
deduco -xi -ctum 3, launch
deinceps, then, next
delicatus -a -um, spoiled, squeamish
demisse, humbly
demo -mpsi -mptum 3, take off
demum, at last
denuo, again, once more
devolvo -vi -utum 3, roll over
dimetior -mensus 4, measure
dimico -avi -atum 1, fight
dimidius -a -um, half
dirimo -emi -emptum 3, divide
diripio -ui -eptum 3, tear to pieces
discutio -cussi -cussum 3, smash to pieces
disseco -ui -tum 1, cut into pieces
distinctus -a -um, dotted, studded
documentum -i n., lesson, warning
dolus -i m., trick
dorsum -i n., back
dumtaxat, only
ecce!, see!, look!
ecclesia -ae f., church
editus -a -um, situated at a high level, lofty
egeo -ui 2, require, need
eiulo 1, whine; yell
elido -si -sum 3, dash to pieces

emico -ui -atum 1, shoot forward
emo, emi, emptum 3, buy
en!, well!
enixe, hard, strenuously
eno -avi 1, swim out
epulor -atus 1, feast
equuleus -i m., little horse
erga, towards, for, to
eripio -ipui -eptum 3, pluck out
escendo -di -sum 3, get up, climb
esurio 4, be hungry
euax!, well!, good gracious!
eugepae!, oh!
evado -si -sum 3, turn out, happen
evello -velli -vulsum 3, tear out, pull out
examen -inis n., swarm
exanimo -avi -atum 1, make breathless, exhaust
exardesco -arsi -arsum 3, catch fire
exaresco -rui 3, dry up
excelsus -a -um, high, lofty
excubo -ui -itum 1, camp out, sleep in the open
excultus -a -um, civilized
excutio -cussi -cussum 3, shake out
exinanio -ivi -itum 4, empty
exinde, thereupon
expergisco -perrectus 3, awaken
experior -pertus 4, try (on)
expleo -evi -etum 2, fulfil, grant
exspes, in despair
extemplo, at once, immediately
faber -bri m., smith
fallo, fefelli, falsum 3, mislead
fames -is f., hunger, starvation
famulus -i m., servant
farcio, farsi, fartum 4, stuff
fas, right, allowable
fasciculus -i m., clump, bunch, packet
fascino -avi -atum 1, enchant, bewitch
fastidium -ii n., disgust
fastigatus -a -um, pointed
fastigium -ii n., tip; steeple
fatuus -a -um, foolish
fauces -ium f., jaws
felis -is f., cat
ferio 4, strike, hit
ferme, nearly, almost
ferreus -a -um, (made of) iron
ferrumino -avi -atum 1, solder
ferus -a -um, fierce
ferveo -bui 2, be intensely hot
festinanter, speedily
festino -avi -atum 1, hurry
fibula -ae f., pin
fibulatus -a -um, equipped with buckles
fides -ei f., promise
fidicen, -inis m., fiddler
figo -xi -xum 3, fix; *oculos figere*, stare at
filum -i n., thread, piece of string, wire
findo, fidi, fissum 3, split
fingo, finxi, fictum 3, imagine
fistula -ae f., whistle
flagellum -i n., strap, whip
flatus -us m., current, blast (of air)
flavus -a -um, yellow
fleo, flevi, fletum 2, weep
focus -i m., fireplace, mantel(-shelf)
foede, horribly
foedus -a -um, ugly
follis -is m., bag, ball; *follis aërius*, balloon
foramen -inis n., hole
forfex -icis f., pair of shears
foris -is f., door
formica -ae f., ant
fossa -ae f., ditch
fragor -oris m., crash
fremitus -us m., growl
fremo -ui -itum 3, growl
fremor -oris m., roar
frendo, frendui, fresum 3, gnash
freni -orum m., harness
frequento -avi -atum 1, use frequently
frico -avi -atum 1, rub
frustum -i n., piece, slice
fulcio, fulsi, fultum 4, hold up, prop up, support
fulgeo, fulsi 2, shine
fulmen -inis n., lightning
fundus -i m., farm; bottom
funis -is m., rope
furfur -uris m., bran
furfureus -a -um, (made of) bran
fuscus -a -um, dark-colored, brown
galbinus -a -um, green-gold
gallina -ae f., hen
gallus -i m., cock, rooster
gannio 4, whimper
garrio -ivi -itum 4, chatter
gaudeo gavisus 2, be glad
gemitus -us m., groan
gemo -ui -itum 3, groan
gena -ae f., cheek
genu -us n., knee
gero, gessi, gestum 3, carry out, perform; *morem gerere alicui*, gratify, oblige someone
glaber -bri -brum, bald
gluten -inis n., glue
gossypion -ii n., cotton, cotton cloth, gingham
gradior, gressus 3, walk
gradus -us m., step; *gradum sistere*, stop (walking)
gramen -inis n., grass
granum -i n., seed
gremium -ii n., lap
grex, gregis m., flock, herd, troop, company
gustatus -us m., taste
guttur -uris n., throat
harpago -onis m., poker, pole
hasta -ae f., spear
hebes -etis, dull
hilaris -e, merry, cheerful
hio -avi -atum 1, be wide open
holus -eris n., vegetable
horreolum -i n., little barn
horreum -i n., barn
iaceo -ui -itum 2, lie (still)
iacto -avi -atum 1, brandish, swing
iactura -ae f., loss
ideo, that's why
ientaculum -i n., breakfast
iento -avi -atum 1, eat breakfast
ignavus -a -um, cowardly
imber -bris m., rainstorm
immanis -e, tremendous
immemor -oris, unmindful, forgetting
immitis -e, unkind
impetro -avi -atum 1, obtain
impleo -evi -etum 2, fill
improbus -a -um, dishonest, rascally
impune, safely
incolumis -e, safe, unharmed
incommode, unfortunately
increpo -ui -itum 1, make a noise
indigeo -ui 2, need
induo -ui -utum 3, put on
inermis -e, unarmed, helpless
infortunium -ii n., mishap, misfortune


inhabilis -e, clumsy
iniquus -a -um, uneven
innoxius -a -um, harmless
inopinus -a -um, sudden, unexpected
inquisitio -onis f., search
inscitia -ae f., awkwardness
insilio -ui 4, bound, leap into
insolitus -a -um, peculiar, queer, unusual
instar n., like (the equivalent of)
instruo -xi -ctum 3, equip, furnish
insuper, besides
interdiu, during the day, by day
intersum esse, fui, be different; *interest*, makes a difference
interpello -avi -atum 1, disturb
intorqueo -si -tum 2, twist
intueor -itus 2, look at
intus, inside
inusitatus -a -um, unfamiliar, strange
invicem, in return
iuba -ae f., mane
iucundus -a -um, delightful
iuvo, iuvi, iutum 1, help
iuxta, near by, by one's side
laboro -avi -atum 1, work; be disturbed by, mind
lac, lactis n., milk
lacinia -ae f., strip of cloth
lacuna -ae f., hole, hollow, depression
laedo -si -sum 3, hurt, harm
laetor -atus 1, be happy, glad
laetus -a -um, happy, glad
lamina -ae f., blade (of a weapon)
lanosus -a -um, wooly
lanx -cis f., dish
lascivus -a -um, mischievous, playful
lateo -ui 2, lie hidden
later -eris n., brick
latericius -a -um, (made of) brick
latro -avi -atum 1, bark
lebes -etis m., kettle
leniter, gently
lente, slowly
lepidus -a -um, pretty, nice
levigo -avi -atum 1, polish, burnish
levis -e, light (in weight)
lēvis -e, smooth
lēvo -avi -atum 1, make smooth, smooth over
libenter, gladly, willingly
libro -avi -atum 1, balance
lignator -oris m., woodman
lignum -i n., wood
limbus -i m., border, braid
lino, levi, litum 3, coat, smear
linteum -i n., sheet
liquesco, licui 3, melt
luceo -xi 2, shine
luctor -atus 1, struggle; pull
lugeo -xi -ctum 2, mourn, grieve
lugubris -e, mourning, grieving
lupus -i m., wolf
lutulentus -a -um, muddy
lutum -i n., mud
macer -cra -crum, thin, gaunt, slim
macresco, macrui 3, lose flesh, become thin
mactus -a -um, extolled, blessed; *macta animo pio*, bless your dear (loving) heart
macula -ae f., spot
madefacio -feci -factum 3, wet, soak
maestus -a -um, sorrowful
maga -ae f., witch
magus -i m., wizard
Malleceps, -cipitis m., Hammer-Head
mālum -i n., apple; *mālum Persicum*, peach
manica -ae f., sleeve
mano -avi -atum 1, flow; *ex eo manavit*, came from this
mansuetus -a -um, tame
mantelium -ii n., towel
memoro -avi -atum 1, mention
mereo -ui -itum 2, earn
meridianus -a -um, southern
meridies -ei m., noon; south
messis -is f., crop, harvest
mico -ui 1, twinkle, sparkle, shine
minor -atus 1, threaten
mire, strangely
miror -atus 1, be surprised, wonder
misereor -itus 2, feel sorry for
mitis -e, gentle
moenia -ium n., walls
moles -is f., mass, heap
molior -itus 4, toil
momentum -i n., importance; *momentum temporis*, instant, moment
mos, moris m., behavior; *morem alicui gerere*, oblige someone, carry out his wishes
mulctrum -i n., milking-pail
mulgeo -si -sum 2, milk (animals)
mundus -a -um, clean
mundus -i m., the world
murra -ae f., china
murrinus -a -um, (made of) china
mus, muris m., mouse
musca -ae f., fly
muscus -i m., moss
nato -avi -atum 1, swim
neco -avi -atum 1, kill
nempe, of course
nequaquam, by no means, not at all
nequeo -ivi -itum 4, be unable
nequitia -ae f., mischief
nicto -avi -atum 1, wink
nidus -i m., nest
nimirum, of course
nitidus -a -um, neat
nitor -oris m., brightness, sparkle
nītor, nixus 3, lean on
novissime, for the last time
noxius -a -um, harmful
nubes -is f., cloud
nubo -psi -ptum 3, get married (of a woman)
nudius tertius, the day before yesterday
nugae -arum f., little things, trifles
nummus -i m., coin, penny
nuto -avi -atum 1, nod, sway
nux -cis f., nut
obduco -xi -ctum 3, cover
obiter, by the way
obiurgo -avi -atum 1, reproach, rebuke
oblecto -avi -atum 1, amuse, please
oblino -levi -litum 3, smear, spread
obluctor -atus 1, struggle with, tug at
obnitor -xus 3, push against
obnoxius -a -um, liable, vulnerable
obsero -avi -atum 1, fasten
obsitus -a -um, covered, overgrown
obtundo -tudi -tusum 3, blunt
obtutus -us m., glance
obviam, in the way; *obviam venire*, come to meet, come one's way
obvius -a -um, in the way; *obvius fieri*, fall in with, pass one's way
occaeco -avi -atum 1, dazzle
occulo -ui -tum 3, hide
odoror -atus 1, sniff at, smell

quatenus, as far as
quercus -us f., oak tree
querela -ae f., murmur, complaint
quippe quod, inasmuch as
quispiam, quaepiam, quid(quod)piam, any, anyone, anything
quoad, until
quousque, as far as
rado, rasi, rasum 3, scratch, scrape
ramus -i m., branch
ranunculus -i m., buttercup
ratis -is f., raft
ravus -a -um, gray
reapse, truly
recordor -atus 1, remember
rectā, straight, directly
redigo -egi -actum 3, bring back, restore
refigo -xi -xum 3, unfasten
regula -ae f., slat, stick
renuo -i 3, deny (by a motion of the head)
reor, ratus 2, think, believe, imagine
reprehendo -di -sum 3, reproach, rebuke
resarcio -sartum 4, mend, patch
reseco -cui -ctum 1, cut off
resero -avi -atum 1, unlock
retinaculum -i n., rope
rima -ae f., crack
ringor, rictus 3, snarl
rivus -i m., brook
robigo -inis f., rust
rostrum -i n., snout, beak
rudicula -ae f., spoon
ruga -ae f., wrinkle
rugio 4, roar
rugitus -us m., roar, growl
rugosus -a -um, wrinkled
ruo -ui -utum 3, rush
rutilus -a -um, reddish
saccharum -i n., sugar
saepes -is f., fence
saeptum -i n., enclosure, fence
saevus -a -um, fierce
saga -ae f., sorceress
sagitta -ae f., arrow
salio -ui, saltum 4, jump, leap
saltem, at any rate, at least
salto -avi -atum 1, dance
saltus -us m., jump, leap
sane, indeed, of course
sapio -ivi 3, know, be intelligent
sartor -oris m., mender
sartura -ae f., patch
scala -ae f., flight of stairs; ladder
scarabaeus -i m., beetle
sceleratus -a -um, wicked
scintilla -ae f., spark
sciscitor -atus 1, inquire
sciurus -i m., squirrel
scobis -is f., sawdust
scorteus -a -um, (made of) leather
seco -cui -ctum 1, cut
secundo flumine, downstream
securis -is f., axe
secus, otherwise
sella -ae f., chair
semel, once, one time
semita -ae f., path, pathway
sententia -ae f., thought
septentrio -onis m. (also *septentriones -um*), north
sera -ae f., lock
sericum -i n., silk
sericus -a -um, silken, silky
serio, seriously
serpo -psi -ptum 3, crawl
sescenti -ae -a, huge number, hundreds of, literally, "six hundred"
sibilus -i m., whistling
sicco -avi -atum 1, dry
siligineus -a -um, (made of) wheat
simius -ii m., monkey
singillatim, one after the other
singulto -avi -atum 1, sob
sino, sivi, situm 3, let, allow
sinus -us m., pocket, fold
sisto, stiti, statum 3, cause to stand; *gradum sistere*, stop
situla -ae f., pail, bucket
smaragdus -i m., emerald
sodes, please
solium -ii n., throne
solum -i n., floor, ground
solvo, solvi, solutum 3, pay
somnium -ii n., dream
sopio -ivi -itum 4, put to sleep
spargo -si -sum 3, scatter, spray
spatior -atus 1, walk about
species -ei f., look, appearance, sight
speciosus -a -um, handsome
spiritus -us m., breath
splendidus -a -um, shining
sponsa -ae f., bride
stagnum -i n., marsh
stanneus -a -um, (made of) tin
stannum -i n., tin
sterno, stravi, stratum 3, pave
stipo -avi -atum 1, stuff
storea -ae f., mat
stragulum -i n., rug, carpet, counterpane, bedspread
stramen -inis n., straw
stratum -i n., roadbed, pavement
strepo -ui 3, make a noise
stridulus -a -um, squeaky
studiosus -a -um, fond of
subausculto -avi -atum 1, overhear
sublimis -e, uplifted, up in the air
subsido -sedi -sessum 3, sit down, crouch down
subviridis -e, greenish
sucus -i m., juice
sudarium -ii n., handkerchief
sulfuratum -i n., match
summe, most, extremely
supellex -lectilis f., furniture
superbio 4, be proud of; *forma superbire*, be vain
superbus -a -um, proud
superficies -ei f., surface
surrideo -si -sum 2, smile
suspiro -avi -atum 1, sigh
susurro 1, whisper
taberna -ae f., shop
tabula -ae f., board
taedet -uit 2, weary; *taedet videre*, get tired of seeing
taenia -ae f., band, ribbon
tapete -is n., carpet
tego -xi -ctum 3, cover
tegumentum -i n., covering, screen
tela -ae f., web
temperi, in time, betimes
tenebrae -arum f., darkness
tenebricosus -a -um, dark
tener -era -erum, soft, tender
tenor -oris m., continued movement; *uno tenore*, uninterruptedly, steadily
tenuis -e, fine
ter, three times
tergum -i n., back
tero, trivi, tritum 3, rub
terriculus -i m., scarecrow

texo -xui -xtum 3, weave
textum -i n., cloth, fabric
thalamus -i m., room, chamber
tholus -i m., dome
tinnitus -us m., tinkle, ringing
tintinnabulum -i n., bell
titubo -avi -atum 1, stumble, teeter
tolutim, at a trot
tomentum -i n., stuffing
tonitrus -i m., thunder
torqueo, torsi, tortum 2, twist
torquis -is m., collar
trabea -ae f., robe
trabs, trabis f., beam, timber
tracto -avi -atum 1, treat, behave towards
transilio -ui 4, jump over
trini -ae -a, three, triple
trudo -si -sum 3, push, shove
tumeo -ui 2, bulge
tundo, tutudi, tunsum 3, pound, beat
turbidus -a -um, boisterous
turbo -inis m., cyclone
turpis -e, ugly
turris -is f., tower
tute, in safety
tutus -a -um, safe
ululo -avi -atum 1, shriek, scream, howl
umbra -ae f., shade
umerus -i m., shoulder
una, together
unguis -is m., claw
unicus -a -um, single, only one
urceus -i m., can, pot, container
ursus -i m., bear
usque, all the time
utique, as it was, at any rate
utpote, inasmuch as
utrimque, on either side
vacca -ae f., cow
vaco -avi -atum 1, have time, leisure
vafer -fra -frum, cunning
vagio -ivi 4, whine, cry
valde, very, very much
vapor -oris m., hot air, steam
vastus -a -um, dismal, desolate
veho -xi -ctum 3, carry
vello, vulsi, vulsum 3, pull, pluck
venefica -ae f., sorceress
venenum -i n., poison
veneo -ivi -itum 4, be on sale
venia -ae f., pardon, forgiveness
venor -atus 1, chase, hunt
venustas -atis f., beauty
venustus -a -um, lovely
verro, verri, versum 3, sweep
versicolor -oris, many-colored
versor -atus 1, find oneself, dwell
vertigo -inis f., dizziness
vescor 3, feed on, eat
vespa -ae f., wasp
veternus -i m., fatigue, drowsiness
vetulus -a -um, old
viator -oris m., traveler
vicinum -i n., neighborhood, vicinity
vicis (gen.), *vicem, vice* f., turn, time
vicissim, in return
vigeo 2, be lively, fresh
vigil -ilis m., guardian
villosus -a -um, shaggy
villus -i m., (shaggy) hair
vindico -avi -atum 1, claim
vireo -ui 2, be green
virga -ae f., stripe; branch; wand
virgultum -i n., thicket, underbrush
viridis -e, green
vitio -avi -atum 1, spoil
vitrum -i n., glass
vix, hardly, scarcely
vorago -inis f., gulf, chasm
vulgaris -e, common, ordinary
vulpes -is f., fox

The CLASSICAL WIZARD

MAGUS MIRABILIS IN OZ



"Baum was the most important American writer of books for children, and THE WIZARD OF OZ is not only the greatest but the most popular children's book of the 20th century; it has sold more than ten million copies. The continuing success of the MGM movie starring Judy Garland testif[ies] to the appeal of this enduring fairy tale. . . . I can think of no better way to learn Latin than from reading a familiar work like THE WIZARD."

— Dr. Douglas G. Greene, Director,
The International Wizard of Oz Club

"It is not only an important book in American children's literature, but its popularity around the world can be attested to by the numerous translations into foreign languages. It seems appropriate, therefore, to have it available in such a basic language as Latin. I also suggest that it would give great pleasure to the new wave of students studying Latin—not only a change from Caesar's GALLIC WARS or Vergil's ÆNEID, but an indication that Latin is not dead."

— Dr. Sheila Egoff, Professor Emeritus, School of Librarianship, University of British Columbia, Canada

THE CLASSICAL WIZARD is on the cutting edge of a Latin renaissance. The book has been described by one classics reader as "American Latin, and I know no other like it. The grammar and syntax are accurate; the diction is fluent and sensitive; but the sentence structure and word order are those of the original . . . that is, Mid-Western. This American flavor, combined with an occasional touch of Apuleian panache-cum-alliteration, gives the translation genuine charm and genuine sparkle."

Scolar Press
2430 Bancroft Way
Berkeley, California 94704
USA

Scolar Press
Gower House, Croft Road
Aldershot, Hampshire GU11 3HR
England

The CLASSICAL WIZARD

MAGUS MIRABILIS IN OZ



The Classical WIZARD

MAGUS MIRABI-LIS IN OZ

BAUM



Scolar Press